9

Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE PODAGRA,

Quam

INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ INDULTU

In

ELECTORALI ACADEMIA ERFURTINA

Pro

DOCTORATU MEDICO OBTINENDO

Publicæ disqvisitioni

subjicit

H. L. Q. C.

JOHANNES WILHELMUS Spangenberg/

SAXO-MÜNDANUS,

Ad d. Novembr. Ann. M. DC. LXXXIV.

ERFORDIÆ,

Literis JOH. HENR. GROSCHI.

PRÆFAMEN.

CUm humores in corpore noſtro continuò moveantur & à Natura ad deſtinatos fines impellantur per vaſa etiam minutiſſima & viſum fugientia, ideò humorum colliqvationi perpetuò intendit, horum verò coagulatio eidem ſemper eſt adverſa & univerſo corpori exiſtit noxia. Inter cæteras autem humorum coagulationes, ea potiſſimùm partibus circa articulos exiſtentibus membranoſis eſt inimica, quæ ad tartaream, lapideam ſive calculoſam tendit conſiſtentiam; Horum enim humorum textura cùm ſit admodùm inæqvalis, aſpera, propterea humores hi facillimè in dictarum partium membranoſarum minutiſſimis ductibus, tubulis & qvaſi funiculis ſtagnant, eosdemque mirum in modum vellicant, dilacerant atque diſtendunt, uti calculus in ureteribus ſtagnans idem efficere ſolet. Quânam verò ex causâ iſti humores tartarei in nobis generentur, & quomodo in corpus noſtrum operentur, morbumque, PODAGRAM, inducant, latiùs ſub hujus Diſſertationis Inauguralis ſchemate diducere, hincqve quibus ex principiis morbus hic curabilis & quomodo ſit, pro viribus qualibuscunqve meis, oſtendere atque annectere operam dabo. Faxit Archiater ſummus, hic meus labor cedat Feliciter!

TH. I.



PODAGRÆ historiam enarraturus, velim non tantùm ποδῶν ἄγραν pedum capturam, sed & aliarum corporis partium synecdochicè subintelligi, cùm annotaverim alios de *Podagrâ Scriptores* idem qvoqve voluisse, idqve ideò, qvod ferè primò ac freqventiùs pedes hôc morbô corripiantur, sintqve rarò immunes, dum alii afficiuntur articuli, & deinde, qvòd utplurimùm initiò in pollice pedis sinistri Arthritici doleant. Et hinc est, qvòd non tantùm apud *Græcos* pro omnis Arthritidis specie *Podagræ* nomen sumi cœperit, sed qvoqve apud *Germanos*, qvibus familiaris est locutio **das Podagra an Händen.**

II.

Secundùm generalem hanc *Podagræ* acceptionem definiri ea potest, qvòd sit ***dolor partium membranosarum circa articulos per intervalla recurrens, ortus ex humoribus plùs minùs proclivibus seu alterabilibus à materia spirituali lapidifica sive constringente, coagulante, in tartaream & lapideam substantiam coagulatis sive condensatis.***

III.

Genus hujus Definitionis est ***Dolor***; Tumor enim, qvem qvidam pro Genere adducunt, cùm non semper adsit, genus hîc prædicari neqvit: ***Dolor*** verò principale est prædicatum & nunqvam non est præsens; qvid autem sit dolor & qvâ ratione in Podagra generetur, infrà dicetur.

IV.

Subjectum sunt membranosæ partes circa articulos, imprimis ***periostium***, deinde ***ligamenta, tendines*** atqve ***nervi***. Dolore autem afficiuntur hæ partes ratione ***spiritûs sensitivi***, qvi easdem incolit. De hoc spiritu jam qværitur, qvis & qvalis iste sit? Sunt, qvi doctrinam spirituum magnifacientes eandemque excolentes unicum tantùm in animalibus agnoscunt ***spiritum***, eundemque insuper nullis qvalitatibus corporeis præditum statuunt: verùm non video, qvomodo hi ex uno isto spiritu in substantia sua minùs alterabili omnes actiones tàm naturales seu vitales, qvàm animales deducere velint. Sanè idem ***spiritus***, qvi in vegetabilibus digestionem, accretionem,

augmen-

augmentationem exercet & peragit, in animalibus qvoqve statuendus, cùm iidem effectus eandem præsupponant causam, hic verò spiritus à spiritu animali, animalibus proprio, astralis æthereæ naturæ, distinctus sit necesse est; hinc & operationes istæ, scilicet sangvificatio, augmentatio, chylificatio nostro arbitrio non subsunt. Et qvis motum & calorem vitalem ab uno spiritu deducet, spiritus diversæ naturæ, scilicet unus acidus, alter alcalicus, si conjungantur, motus, calor observantur, unus sine altero hos effectus neqvaqvam producit, sicuti qvoqve in pulvere pyrio & nitrosæ & sulphureæ adsint particulæ necesse est: Præterea calor vitalis animalium sine dubio easdem agnoscit causas, qvalis calor sive ignis culinaris; hinc non immeritò *Willis, celeberrimus iste Scriptor Anglicus* pronunciavit, vitam animalem vel ignem esse, vel aliqvid igni valdè analogum, cùm præcipuæ affectiones sive propriæ ignis flammæque passiones etiam sangvinis incalescentis vitæ competant, uti de hisce fusiùs legi meretur *jam nominatus & laudatus Autor*, nec non, qvi in hanc rem accuratiùs & altiùs penetravit eandemque dilucidavit *ingeniosissimus ille Majow in suis Scriptis.* Cùm igitur, qvod ad ignem culinarem spectat, non tantùm particulæ æthereæ sive aëreæ, sed & maximè sulphureæ ad eundem constituendum reqvirantur, hinc & in animalibus ad vitalem calorem stabiliendum non tantùm *spiritus æthereus astralis*, animalis dictus, sed & *spiritus sulphureus elementalis*, vitalis sive naturalis nominatus omninò agnoscendus est.

V.

De hoc spiritu vitali nunc ulteriùs conjicere licet, eundem ex sangvine arterioso oriundum in ossium medullis deponi, perque ossa & tendines usqve in fibras carnosas mitti, qvæ opinio fuit *celeberrimi & ingeniosissimi olim Professoris Erfurtensis, Dn. D. CRAMERI, Præceptoris mei etiam post obitum ejus æstumatissimi*, qvi in hujus confirmationem *in Collegio suo Physiologico* ita loqvitur: Ossa à tendinibus non adeò sunt distincta, ipsaqve non nisi tendines indurati sunt. Sic ossa embryonum tantùm tendinea sunt. Ita teste *Stenone in Specim. element. Myolog. p. 100.* in pisce Carcharia ossium vice cartilago est, in superficie dura & opaca, intùs mollis & perspicua vasis sangvineis referta, qvæ pulchræ purpurearum arbo-

 rum

rum instar pellucent, coctis tendinibus prorsus simillima. Qvòd tendines in os indurentur, id pennata probant, inter qvæ maxima pars tendines musculorum pedis osseos habet. Hûc facit observatio de vasis sangvifluis maximè cordialibus in cervis, jumentis &c. ossefactis; Sic dantur musculi, qvi alteram partem tendine carentes fibras suas carnosas obliqvo angulo ita ossi, uti aliàs tendini annectuntur. Spiritus ergò vitalis cum spiritibus ossi, tendini, fibræ insitis spiritum motivum naturalem constituunt. Et hinc est, qvòd nervi ubiqve locorum termino musculorum immobili (sunt enim omnes musculi alterâ extremitate qvodammodò immobiles & fixæ parti connexi, alterâ verò membro mobili movendoqve alligati) inserti sint, & ramificationes suas cum spiritu spargant in spiritum adversum motui obnoxium. *Hæc ille.* Suprà jam laudatus *Majow* qvamvis non perspexerit, in qvæ vasa particulæ motivæ è sangvine suppeditatæ recipiantur, inqve occursum alteri spiritui, animali scilicet per nervos effluenti dentur, attamen particulas ⊖ino-♀eas ad summam volatilitatem in sangvinis massa per continuam ejus fermentationem evectas, parenchymatis musculosi ministerio à sangvine secerni, inqve partes motrices pro earum contractione instituendâ deponi, evicit atqve asseruit.

VI.

Differentiam specificam locus affectus designat, eadem enim causa, qvæ hîc, partes membranosas circa articulos afficiendo, dolorem podagricum infert, si in renibus, vesicâ urinariâ occurrit, calculum renum & vesicæ inducit, imò qvâvis ferè in corporis parte existens calculum sive lapideam concretionem positis reqvisitis progignere solet, qvod historiæ & observationes Practicorum ubertim testantur. Multas historias de calculis in humani corporis partibus qvibuscunqve inventis collegit *Phil. Jacob. Sachs in Diss. hist. respons. ad D. D. Major. de Cancr. & Serp. petrefactis.*

VII.

Causa doloris, qvam vulgò solutionem continui statuunt, accuratiùs dici potest, qvòd consistat in spirituum motu irregulari, inæqvali, motui eorum blando naturali, contrario, ubi conjuncta est spirituum textura inæqvalis, inversa, discontinuata & qvasi aspera. Solutionem continui qvod attinet, eandem ut veram causam doloris

doloris inter alios rejicit *J. A. de Gehema in curioso suo Tr.* **Eroberte Gicht durch die Chinesische Waffen der** *Moxa p. 25.* Verùm hic *Autor* non videtur distingvere inter solutionem continui & solutam unitatem, omninò enim dici potest, in qvovis dolore simul solutionem continui adesse, & ubi sit solutio continui, non verò soluta unitas, ibi qvoqve necessariò seqvi dolorem: Nihilominùs tamen, dum qværitur de proxima & immediata doloris causa eâqve interiori, idem esse puto, ac si qværas, qvomodò spiritus & anima sensitiva, qvibus unicè sentiendi facultas competit, sese habeant vel afficiantur in dolore, hinc & dictus *Autor* Lectori non satisfacit suâ explicatione causæ doloris, dum tantùm, satis clarè tamen, explicuit, qvomodo nervi, fibræ &c. in dolore afficiantur, qvomodo verò ex nervis, fibris &c. affectis, ipsi spiritus & anima sensitiva afficiantur, silentio præteriit. Qvoad hoc igitur explicandum, conjicere fas sit, *spiritus* in membranis, nervis, fibris, ligamentis tanqvam in proprio habitaculo existentes per totam horum substantiam esse extensos, & firmiter iisdem connexos; unde fit, ut, qvando membranæ, nervi, fibræ, ligamenta p. n. afficiuntur, corroduntur, dissecantur sive dissociantur, distrahuntur, comprimuntur, ipsi etiam spiritus in suâ substantiâ dissocientur, distrahantur, eorumqve textura plana, æqvalis reddatur inæqvalis, aspera; sicqve spiritus redigantur in motum irregularem; motui naturali blando contrarium ipsisque valde molestum sive dolorificum: Et cum spiritus naturalis & animalis cum animâ sensitivâ (qvam *Majow in suis Tract. pag. 330.* meritò à dictis spiritibus distingvit) firmiter conjuncti conspirent, hinc & anima sensitiva sive mentalis eodem modo, sed magis spirituali subtiliori afficitur & turbatur, sicuti è contrà mens turbata, & affecta p. n., afficere potest spiritus magis corporeos, scilicet animalem & naturalem, & hi deniqve humores, uti videre id licet in ira. Alterari autem & affici posse dicto modo spiritus cum anima sensitiva, infrà, ubi de animi affectibus sermo erit, fusiùs demonstrabitur.

VIII.

Causa exterior propinqva, qvæ membranas, nervos, fibras &c. & per conseqvens qvoqve spiritus dicto modo afficit in Podagra, jam seqvitur. Suprà in tradita definitione dixi causam esse materiam

teriam spiritualem lapidificam sive coagulantem humores plus minùs proclives, qvod nunc ulteriùs explicandum venit. Eqvidem à plurimis jam usu recepta est opinio, causam Podagræ consistere in sangvinis acrimonia sive in sero salso-acri qvibusdam ad aciditatem propendente. Verùm hæc causa nimìs generalis mihi videtur, qvotiescunqve enim acrimonia sangvinis observatur, Podagram minimè inducens, sanè in *lue Venerea* sangvinis acrimonia sæpè tanta est, ut ipsa ossa exinde erodantur, non tamen podagricus dolor, multò minùs tartarea materia præstò sunt, & licet sangvinis acrimonia sive serum acre ad articulos deveniens, ibidem nervos, fibras, membranas vellicare sicqúe dolorem podagricum inducere posset, humores tamen coagulare in lapideam substantiam haudqvaqvam potest, serum enim acre potiùs resolvit, qvàm condensat, neqve dicendum, propter vellicationem stagnare qvosdam humores circa articulos, qvi sensim indurentur in tartaream substantiam, nam ut alia taceam, qvæ hanc indurationem spontaneam infirmam reddunt, saltem referam historiam, qvam annotavit *Riverius in observ. pag. 392.* Fuit, dicit, arthriticus variis articulorum ulceribus scatens, è qvibus calculi tophacei plusqvam ducenti exierant, pisorum magnitudinem superantes & ita duri, ut malleo resisterent, & qvod mirum dictu est, pus, sanies & serosa materia ad ulcera confluentia, exiguâ in parte morâ, concrescebant illicò & tophaceam duritiem acqvirebant. Hæc subitanea induratio & concretio principium aliqvod activum condensans præsupponit.

IX.

Dixi suprà serum ⊖so-acre qvibusdam in Podagrâ ad aciditatem propendere, & ab eo synoviam coagulari, non aliter ac albumen ovi, qvod synovia accuratè imitatur, ab ✛do affuso, etiam spiritu vini, coagulatur. Hujus opinionis *Patronus* inter alios qvoqve est *Tachenius*, eandemqve fusiùs evincere allaboravit in *suo Tract. de Morborum principe*, in qvo pag. 34. *Podagricum* jubet observare communem præparationem ♀ri vitriolati ex spiritu vitrioli & alcali tartari, & sicuti ex horum amborum conjunctione illicò seditio excitatur & ventus, subseqvente coagulatione, sic eadem eodem modo in subjecto podagrico contingere adstruit:

ſtruit: Verumenimverò & hanc opinionem inſufficientem & infirmam eſſe, multa ſunt, qvæ probant, ſiqvidem primò ſciendum, coagulans non ſemper eſſe acidum, ſive virtutem coagulandi non præcisè in acido conſiſtere; dantur enim liqvores, qvi neqve alcalici, neqve acidi ſapiunt, conjuncti tamen in ſe invicem agunt, ſeqve aliqvam partem coagulant; cum enim aliqvando rorem majalem affunderem aqvæ calcis vivæ, illicò liqvor evadebat turbidus, & ad fundum ſecedebat terra pingvis, liqvor verò clarus effuſus & evaporatus non parvâ in copia largiebatur verum nitrum cum pauco ⊖e ſalſo immixtis particulis terreſtribus rubris inſtar terræ foliatæ ♀ri. Sic non ita diu ſingulare experimentum cum limatura ♂tis inſtitui; hæc enim ſingulari enchireſi cum purâ aqva ſimplici intimè mixta & unita ſeſe cum eâdem primò in ſubſtantiam qvaſi mucilaginoſam redigit, & deinde poſt ejus exſiccationem in pulverem ſubtilem terreſtrem, ita ut limatura ♂tis hoc modo ab aqva ſimplici ferè in decuplo multiplicetur; hic pulvis an in totum ſit ſubſtantiæ metallicæ ♂lis, ſive an aqva ſimplex à limaturâ ♂tis non tantùm in terram ſimplicem, ſed metallicam ♂lem ſit transmutata, certò affirmare non poſſum, calcinavi ego hunc pulverem, qvi cineritii eſt coloris, & factus eſt in totum ruber, uti crocus ♂tis fieri aſſolet, ſuperfuſus qvoqve ſpiritus acidus huic pulveri dulceſcit & ♂lis fit ſaporis; Porrò hunc pulverem cum ana ♁io, additâ ſ. q. nitri detonavi in ♁ diaphoreticum ♂le egregium non rubicundi, ſed albi coloris.

X.

Coagulans igitur non neceſſariò acidum ſit neceſſe eſt, ſicuti & nullum obſervatur in caveis ſive cryptis, in qvibus aqva coagulatur in lapidem, guſtavi ego ante annum aqvam in *cavea dicta Baumanniana* in ſylva Hercynia ſitâ planè inſipidam, aliqvaliter ferè dulcem. Acidum igitur, qvando coagulat humores, præſtat id ratione ſpiritûs conſtringentis ſive figentis in eo habitantis, qvi ſpiritus etiam ſine acido exiſtere poteſt, & hinc eſt, qvòd ſpiritus iſte conſtringens in acido, qvia cum eo intimè conjunctus eſt ſicqve intricatus & qvaſi alligatus, humores obiter tantùm coagulet ſive inviſcet, neqve intimè eosdem penetret & firmiter in lapideam duritiem conſtringat, ſicuti & acida iſta intimè & radicaliter metalla

ſolvere neqveunt, ſed tantùm ſuperficialiter disjungunt. Ulteriùs ſi conſideratur nonnunqvam à topho in hoc vel iſto manûs digito exiſtente paroxyſmum podagricum incipere & ex eo tendere & progredi ad alias partes, præprimis pedes, ſanè ſerum acre hîc inculpari neqvit, potiùs ſpiritus qvidam ſive materia ſpiritualis concedatur neceſſe eſt. Ultimò & hoc notetur, Podagricos ſæpè ſimul eſſe calculoſos, vel tantùm in paroxyſmo Podagræ urinam utplurimùm rubrâ & albâ arenâ eſſe repletam, hæc arenoſa materia in urina rurſus ſero acri vel acido aſcribi neqvit, cùm in ſtranguria urina eam qvoqve foveat aciditatem, qvæ guſtu ſatis perceptibilis eſt, nulla tamen arenoſa tunc obſervatur materia, neqve in renibus vel veſicâ urinariâ acidum invenit ſynoviam, vel ei ſimilem humorem, qvem coagulare poſſet. Dicis: In urina eſt ſal alcali, adſit, ergò accedente acidô oritur ſal ſalſum; aliud verò eſt ſal ſalſum ſive corpus ſalinum, & aliud corpus terreſtre lapideum, qvale eſt calculus renum vel veſicæ.

XI.

Cùm igitur ſerum neqve acre neqve acidum vera & immediata cauſa Podagræ prædicari poſſit, ſupereſt, ut cauſam, qvam ego ſuprà adduxi & qvæ mihi præ aliis probabilior viſa eſt, ulteriùs explicem & veram eſſe demonſtrem. Primò de ***eâdem*** pronunciavi, ***eam eſſe ſubtilem ſpirituoſam***, qvod probat ſubitanea induratio & concretio ***Th. antecedenti*** allegata, nec non celerrimus ejus ex topho in manu exiſtente tranſitus in alias partes, etiam pedes, cujus pariter in ***eâdem Theſi*** mentionem feci. ***Tachenius***, qvi cauſam Podagræ etiam ſpiritualem materiam judicat, ***l.c. pag. 42.*** allegat ***Cardanum***, ex cujus ſententiâ materia arthritidis eſt qvaſi ***ſpiritus***, qvem ***Lucianum*** ſummâ cum prudentiâ & doctrinâ ***animatum*** appellare putat. Hic ſpiritus ſive materia ſpiritualis, ut nunc dicam, qvomodo in corpore noſtro generetur, & qvomodo in humores agat, ſciendum prætereà; alimentorum, qvæ aſſumimus, balſamo interdum mucilaginoſa excrementa cohærere, in qvibus proprietates, ut ***Severini*** verbis utar, ad lapideam prædeſtinationem deſinentes vel arenoſam, vel bolarem deliteſcunt, qvæ non ſufficienter à ſpiritibus noſtris ſubacta & transmutata, ſi maſſam ſangvineam intrant, ex innata & propria virtute ſucceſſivè digeruntur, fermentationem

putre-

putredinalem ineunt, resolvuntur, sicqve spiritus condensans, figens ex vinculis corporeis fit liber & sui juris, hinc per totum sangvinem sese extendit, & qvas invenit particulas plùs minùs alterabiles sive corruptibiles, eas aggreditur, seseqve cum iisdem conjungit easdemqve constringit, ob sangvinis verò vitalem calorem manent, in sangvine dum existunt, in forma liqvida sive vaporosa, donec ad articulos deveniant, ibidem cum spiritu sangvinis vitali per ossa, tendines, & ligamenta transientes non tantùm ob soliditatem ossium, tendinum, sed & præprimis ob frigiditatem eorum stagnant, incrascescunt, synoviæ etiam aliqvam partem condensant, sicque vellicando, corrodendo, comprimendo tendines, ligamenta, membranas, modo suprà descripto, inducunt dolorem podagricum.

XII.

Putredinem sive corruptionem multùm contribuere ad Podagram inducendam vel augendam satis constat; humores enim specificis qvalitatibus & ipso spiritu vitali maximam partem orbati, magis dispositi redduntur, ad alium spiritum aliasqve qvalitates specificas recipiendas. Si enim spiritus ejusmodi condensans mineralis prosapiæ oberrans in nostro corpore, inveniret humores æqvaliter cohærentes, temperatos, spirituqve vitali maximè imbutos, dominium suum in eosdem exercere minimè posset. Hinc est, qvòd ante accessum paroxysmi, per purgantia vel per spontaneam à natura institutam evacuationem multi educantur humores corrupti, si non planè inhibeatur, tamen admodùm mitigetur in qvibusdam subjectis paroxysmus. Alimenta facilè putrescentia vel humores ad putredinem disponentia, uti asparagus, caseus, allium, cæpa, fungi, animalium cerebra, cyprinorum piscium esus &c. qvàm facilè calculi & sic qvoqve Podagræ generationem promoveant, notum est. *Verzasch. C. I. obs. 2.* in qvodam homine post mortem aperto & secto invenit in rene sinistro cum multis arenulis simul serum putrefactum. *Buschof in Tract.* **Das genau untersuchte und ausergefundene Podagra** *p. 44. causam Podagræ proximam* statuit ***materiam vaporosam eamque admodùm putridam***, hinc insignem fœtorem in & post applicationem moxæ persentiri annotat. ***Tachenius l. c. p. 199.*** recenset pulverem radicis consolidæ major. cum

aqva ſimplici in pultem coctum & podagrico membro applicatum, poſt tres vel qvatuor horas remotum nares ferire ex putri acido. Sic qvoqve urina Scorbuticorum limpidiſſima excernitur, mox verò putredinem ſubiens contentorum fit ſeparatio & in ſe invicem actio & coagulatio, ſpiritibus ſubtilibus æthereis, coagulationem impedientibus, evaporatis, ſic enim ſpiritus figens, qvi in ſalibus copiosè in Scorbuticorum urinâ exiſtentibus habitat, fit ſui juris & coagulationem inſtituit. Hinc non negandum, acres ſalſos crudos humores præ aliis ferè magis eſſe proclives, ut ex iſtis corruptis ſpiritus figens enaſcatur vel egrediatur, plurima etenim ⊖ia, præprimis qvæ ad aciditatem, auſteritatem, acerbitatem propendent, coagulandi vim poſſident, qvatenùs ſpiritum figentem in ſe continent, qvi qvò magis eſt ſui juris ſive ex vinculis corporeis extricatus, eò potentiùs ſive in eò duriorem conſiſtentiam liqvida condenſat.

XIII.

Placet etiam in ipſum operandi modum hujus ſpiritus figentis inqvirere, qvâ ratione ſcilicet iſte in lapideam conſiſtentiam humores conſtringat, qvali texturâ iſte ſpiritus gaudeat, ubi priùs conſiderandum, cùm obſcura per magis manifeſta explicari poſſint & debeant, propono frigus, ejusqve modum operandi: frigus enim eſſe ens merè privativum ſine ullo fundamento & ratione, nedum probabili, à qvibusdam ſtatuitur; ſanè cùm calor & frigus ſint contraria & ſibi invicem oppoſita, etiam frigus unà cum calore vel igne erit ſubſtantia, ſiqvidem contrariorum eadem eſt ratio; ſicuti igitur calor ſive ignis erit ſubſtantia, res, in qvas agit, reſolvens, ſubtiliſans, ejus contrarium, nempe frigus, erit ſubſtantia res ſubtiles fluxiles mobiles condenſans, incraſſans minusqve mobiles reddens, & ſicuti ignis motus eſt à centro ad peripheriam, ita frigoris motus eſt à peripheria ad centrum. Jam ut frigoris modus operandi innoteſcat, perſpiciamus ⊖ium qvorundam naturam & texturam, de his enim, e. g. ⊖e armoniac. ⊖e commun. nitri &c. notum eſt, eadem cum nive mixta frigus admodùm intendere, ita ut aqva in vitro iſti mixturæ impoſito mox glacietur ſive in glaciem vertatur, qvod ſola nix ſine ⊖ibus præſtare neqvit; inſuper ⊖ia hæc ſine nive tantùm in ſimplici aqvâ ſoluta eandem admodùm frigefaciunt;

unt; intùs qvoqve eadem ſumta æſtum potenter extingvunt, & non ſolùm extingvunt, ſed & eundem mutant in frigus, ex febri enim ſimpliciter ardenti continuâ per nitrata ſumta fieri poſſe febrim intermittentem cum frigore incipientem certum eſt. ⊹da idem præſtant, & qvidem ⊖ia dicta ſalſa ob acidas particulas, qvibus gaudent, frigefacere dicendum.

XIV.

Deſcribitur verò ab Autoribus ex avtopſia ſive inſpectione per microſcopia ***acidorum textura*** h. m. ſcilicet, tradunt, acidorum particulas eſſe tetrahedricas, qvæ nimirùm cuſpide tereti & acuta & deinde corpore inſtar cunei majorem in molem acuto conſtant, adeò ut qvovis modo ſenſorio applicatæ ipſum pungant & comprimendo nonnihil conſtringant, ac propterea foveas & inciſiones ampliores, qvàm qvodvis aliud ſapidum in ipſo relinqvant; nitrum qvoqve in ſpecie obtinere, dicunt, figuram pyramidalem hexagonam, inæqvaliter tamen lateralem. Cùm igitur hæ particulæ unâ parte ſint acutæ tenues, alterâ parte obtuſæ craſſæ inſtar pyramidis ſive cunei, parte ſuâ aculeatâ potenter qvidem intrant fluidi poros, alterâ verò parte, utpote craſſiori, ultrà penetrare vel tranſire cùm neqveant, comprimunt fluidum à peripheria ad centrum ſicqve condenſant. Concludere nunc licet, qvòd, qvali texturâ gaudeant ſalinæ iſtæ particulæ, & qvâ ratione juxta hanc texturam operentur, eadem qvoqve textura & idem juxta eam operandi modus frigori aſcribi poſſint, iidem enim effectus eandem qvoqve præſupponunt cauſam, & eadem cauſa eandem obtinet texturam & modum operandi.

XV.

Sed revertor ad ſpiritum lapidificum figentem, de qvo pronuncio, eundem eodem modo, uti frigus, humores conſtringere & indurare, eandem cum frigore habere texturam, & juxta hanc texturam humores modo deſcripto conſtringere. Recordor, me aliqvando, cum Lipſiæ degerem, ex opio additis ⊖ibus contrariis mutuò efferveſcentibus deſtillâſſe ex cucurbita aqvam planè inſipidam, vim tamen anodynam adhuc poſſidentem, dabam enim tunc temporis eandem Podagrico cuidam, qvi poſtqvam per tres qvatuorve dies ad gt. 40., ni fallor, ſemel vel bis in die eandem ſumſerat, qvereba-

tur de nimis diuturno somno ; Sic qvoqve opium corrigitur & mutatur in pulverem planè terrestrem omni resinositate orbatum, nihilominùs ad gr. ij. iij. iv. sumtum exercèt adhuc vim anodynam ipsis etiam natu minimis infantibus innocuam. Hoc opium correctum & dicta aqva opii insipida qvomodo anodynam exerant vim, qværitur ? Vim enim narcoticam opii optimè perhibetur consistere in textura pingvi sive oleosa vel sulphureâ, qvæ pro more concretorum oleosorum in specie oleorum destillatorum, in minima mole latissimè diffusiva existunt, declarat hoc v. gr. oleum ♌tum anisi ritè cum vitello ovorum subactum, cujus qvot sunt guttæ, tot ferè aqvæ simplicis mensuras odore, sapore & nonnihil colore imbuere solet: Oleosæ igitur hæ resinæ (qvæ latent in narcoticis) dum constant ex atomis ferè odorum instar latissimè se explicantibus & diffusibilibus, hæ solidas partes minùs tactu ob subtilitatem afficere, liqvidas verò ob perexiguam molem minùs alterare valent, saltem subtilem & delicatam spirituum texturam afficiunt & mutuâ utrorumqve associatione immutant figendo & condensando eosdem ratione teporis sive lentoris. Opium verò, uti suprà dixi, correctum, ut & aqva opii insipida qvia resinositate carent, alios de iisdem conceptus formemus necesse est, scilicet opii texturam in hisce adhuc integram manere dicendum, licet non in corpore crasso sensibus obvio, tamen in corpore spirituali: Hæc igitur textura sive figura dum spiritibus nostris imprimitur, incrassantur isti minúsqve mobiles redduntur, spiritus enim opii secundum ideam sive signaturam suam seminalem hanc texturam spiritibus nostris imprimere valet, sibiqve sic signatum corpus assumere, non aliter ac spiritus in seminibus sive conceptibus animalibus, e. g. in ovo, corpus assumit ipsiqve hanc vel istam particularum texturam imprimit, qvam anteà non habuit.

XVI.

Hoc verò corpus, qvod spiritus seminalis in ovo sibi fabricat & assumit, dum elementale crassum est, non facilè rursus destrui vel mutari à spiritu potest: istud verò corpus, qvod spiritus opii in nobis assumsit, cùm sit spirituale, etiam facilè discontinuari & resolvi rursus potest, præprimis ab accedentibus de novo generatis spiritibus,

bus, hinc eſt, qvod opii asſumti operatio poſt aliqvod temporis ſpatium ceſſet, ſicuti ſpiritus noſtri à vino juſtò copioſiùs ſumto ebrii, oppreſſi, tandem rurſus ſe recolligunt & vires atque dominium recuperant. Dixi ſpiritum ſeminalem in ovo corpus aſſumere elementale craſſum ſive ipſum ſpiritum ſeſe corporificare, ſicqve qvod jam ſpiritus eſt, magìs corporeum fieri & mutari primò in corpus ſpirituale & deinde in corpus elementale craſſum, qvod ſtigma fœtui à matris imaginatione impreſſum clarè ſatìs illuſtrat; hinc judico, eleganter & verè *Weberum in Tr. de liq. ſtypt.* pronunciâſſe, totum aliqvod corpus nihil aliud eſſe, qvàm ſpiritum corporeum factum. Et ideò per artem chymicam ſpiritus figi & mutari in corpus, & corpus reſolvi & attenuari in ſpiritum poſſunt.

XVII.

Notandum inſuper, materiam tartaream non ſemper abire in tophos nodosqve; natura enim ſi adhuc robuſta & articuli nondum adeò ſunt debilitati, materia tartarea diſcutitur, reſolvitur & inſenſibiliter expellitur. In qvibusdam verò, ubi morbus jam altas egit radices, accedentibus inſuper aliis reqviſitis, tophi nodiqve à materia tartarea collectâ oriundi obſervantur. Hi tophi nodiqve per applicata maturantia ſi emolliuntur deindeqve aperiuntur, effluere ex iſtis ſolet materia pultacea purulenta, qvæ in receſſu nihil aliud eſt, qvàm mera tartarea arenoſa materia. Sic *Agricola in Comment. ſuprà Popp. Tract. de Sulphure pag. 465.* recenſet, qvòd aqva purulenta flava ex tophis podagricis ab applicato oleo ſulphuris dulci apertis effluens, aliqvando radiis ☉aribus à ſe expoſita intra duas horas fuerit coagulata tota in ∴m minutam; ſuper △m verò fuit coagulata in perfectum tartarum, vini tartarum rubrum æmulantem. Sæpè materia planè lapidea obſervatur; Suprà *Th. VIII.* ex *Riverio* adduxi obſervationem de calculis tophaceis ita duris, ut malleo reſiſterent, qvi ex ulceribus articulorum Arthritici cujusdam exierant. *Kozack* recenſet *Tract. de Sale*, qvòd nobilis qvidam Bohemus per annos aliqvot, ſingulis fermè menſibus ex utriusqve manûs articulis interdum unius digiti, interdum plurium lapillos eruerit ſcalpellô, nonnullos minores, aliqvos & fabæ magnitudinem æqvantes, eosqve valdè duros, ſed

in

in principio morbi porosiores. Et hoc quidem, addit, ibi ditioribus valdè familiare est malum, aliis verò minùs. Multæ aliæ similes observationes in Practicorum libris extant. Licet verò materia lapidosa in principio non adsit, tumor tamen freqventer partem affectam invadere solet, qvi oritur, dum partes nerveæ & membranosæ, fibrosæ ex dolorifica irritatione sese constringunt, sicqve vasa sangvifera exinde compressa sangvinis transitum inhibent vel aliqvam partem impediunt, sistunt, sangvis verò viscidus pituitosus est, qvi hoc modo facilè stagnat, si enim iste, uti in Podagra calidâ, tenuis & ex spirituum magno æstu & motu fervidus subtilis existit, non facilè stagnat, hinc tumor qvoqve nullus apparet. Obiter hîc annoto, sangvinem in musculis non extravasari, sed arterias venasqve per vasa qvædam singularia in iisdem conjungi, uti benè adstruit atque probat *sæpè allegatus Majow in Op. suis p. 306.*

XVIII.

Explicatam Causam Proximam excipiunt ***Causæ Remotæ***, inter qvas primò se sistit proclivitas & dispositio ad hunc morbum, qvæ à Parentibus per generationem traducitur in liberos; Cùm autem id vitio materiæ contingere planè non sit probabile, per ideas spiritibus impressas hoc negotium explicandum erit: ante omnia verò hîc qværitur, qvidnam idea propriè sit? Memini me in qvadam disputatione legisse, ideam esse lucem variam texturam nactam, scilicet spiritum tanqvam igneum lucem de se spargere, qvæ varias alterationes sive texturas qvatenùs accipit, eatenùs tot ideas dici possunt spiritibus impressas esse; qvæ assertio satis probabilis mihi videtur, & sicuti figuræ speciesqve rerum imprimuntur spiritui aëreo, qvod constat, dum in camera dictâ obscurâ per vitrum opticum figuræ istæ visui objiciuntur; ubi simul annotare licet, ferè innumerabiles figuras in parvo spatio sine ulla confusione repræsentari; sic qvoqve res sese habet cum ideis sive figuris spiritibus nostris impressis, de quibus insuper dici potest, easdem esse corpora spiritualia sive astralia, nam spiritus astrales æqvè corpora, sed spiritualia, pro habitaculo fabricant, ac spiritus elementales corpora crassa terrestria; hinc si spiritus hanc vel istam rem firmiter sibi imprimit, ejusdem rei assumit figuram, scili-

cet

cet quædam ſpiritus particula in hanc mutatur figuram, qvæ deinde ipſo ſpiritu magis ſubſtantialis ſive corporea evadit, imò tandem, urgente neceſſitate, & in corpus elementare tranſire poteſt, ſiqvidem imaginatio matris gravidæ in principio tantùm eſt idea ſive corpus ſpirituale, aſtrale, in ſpiritu matris adhuc exiſtens, fætui verò impreſſa corpus ſpirituale in elementale tranſit. Hûc qvoqve ſpectat, qvòd in conceptu ſive ſemine animali (in regno vegetabili idem obſervatur) priùs omnes corporis ſive fætûs partes ſpirituali modo delineentur & propriam ſuam figuram & texturam acqvirant & juxta eam quoque operentur, anteqvam delineatæ creſcendo eam acqvirant magnitudinem, qvæ ipſas nobis reddit viſibiles. *Vid. de la Courvee in ſuo ingenioſiſſimo & lectu dignisſimo Tract. de Nutritione Fætûs in utero pag. 88. & ſeqq. aliiqve Autores*, qvi per microſcopia eadem qvoqve obſervârunt. Ipſa inſuper Scriptura ſacra viſibilia ex inviſibilibus facta eſſe teſtatur *in Epiſt. ad Hebr. cap. 11.*

XIX.

Porrò nunc me converto ad *ſex ita dictas Res non-naturales*, qvæ Podagram exſuſcitare, accelerare eidemqve incrementum dare ſolent; ubi primò ſe ſiſtit *Aër*, qvamvis enim ſemina juſto & certo tempore progerminent, ſunt namque in iis juxta *Severinum* motuum leges, temporum prædeſtinationes &c., eorum tamen progerminatio impediri vel prolongari vel accelerari ſolet, prout matricis vel terræ, cui inſeruntur, fundus ſeſe habet, & prout aëris conſtitutio variat; ſic qvoqve comparatum eſt cum ſeminibus morborum; hinc Experientia teſtatur, aërem vernalem & autumnalem Podagram ſecundare ſive progerminationem ejus promovere. Et qvidem qvoad *aërem vernum*, iſte ut vivifico ſpiritu maximè imbutus qvatenus omnia ſemina occulta ſalinasqve potentias exſuſcitat, in ipſam qvoqve materiam ſive ſemen Podagræ influit eamqve actuat, præterea ipſi noſtri ſpiritus ab aëre vernali roborati & exſuſcitati qvatenùs calorem naturalem intendunt, humoresqve omnes in corpore noſtro magis exagitant, commovent, ſimul ipſius Podagræ ſeminis digeſtio & progerminatio promovetur. *Aër* verò *autumnalis*, dum humorum tranſpirationem inſenſibilem impedit, facit, ut multæ excrementitiæ particulæ in

corpore accumulatæ p. n. & putredinalem ineant fermentationem in subjecto plùs minùs prædispoſito, qvod ſcilicet fovet ejusmodi humores facilè alterabiles, hi igitur humores corrupti faciliùs à ſpiritu figente lapidifico ſubigi, alterari & condenſari poſſunt, uti ſuprà probavi: præterea dum humores corrumpuntur ex p. n. fermentatione & in ſe invicem actione, ipſum qvoqve ſemen podagricum, qvod ſangvini & humoribus permixtum inhæret, exſuſcitatur & in actum redigitur.

XX.

Qvoad *cibum & potum*, iſta lædunt, qvæ humores gignunt acres & corruptos vel facilè corruptibiles; Scorbutum igitur qvæ ſecundant, in eo enim acrimonia & corruptio humorum qvoqve adſunt; ea etiam Podagrico nocent ſubjecto, qvomodo verò acrimonia & ad corruptionem humorum proclivitas Podagræ dent incrementum, ſuprà jam explicatum eſt. In ſpecie vinum aliiqve generoſiores per fermentationem parati potus Podagram inferre vel eandem jam præſentem accelerare & roborare valent, qvatenus ſubtilem in ſe continent ♀rum, in qvo ſpiritus figens condenſans latitat, qvi ſi ſit ſui juris, ſecundùm ſeminalem ſuam ideam agit, humoresqve conſtringit.

XXI.

Multùm qvoqve intereſt, ſi *excernenda* retineantur. Reſtagnantes enim humores ex mora, dum non ampliùs cum ſangvine circulantur & vitali ſpiritu de novo ſæpiùs imbuuntur, acorem contrahunt, putredinem ſubeunt, de quo ſuprà aliqvoties jam dictum. Novi qvendam Podagricum, qvi imminente paroxyſmô ab evacuationibus aliqvot bilioſis per alvum vel per vomitum à natura ſpontè inſtitutis, magnum percipit levamen: ſi verò has evacuationes natura interdum non celebrat, paroxyſmus ſubſeqvitur vehementior, neqve tàm citò ceſſat.

XXII.

Animi inter *pathemata Venus præcipuè Baccho nupta* Podagricis infeſta eſſe ſolet, dum genus nervoſum & articulos valdè debilitat ſpiritusqve exhaurit; præprimìs artus, in ſpecie pedes ſive crura admodùm debilitantur, ſi qvis in ſtando Venerem exercet ſive congreſſum inſtituit. Cæteri animi affectus, in ſpecie ira, quòd magnum

magnum Podagræ ſint incrementum, multæ ac freqventes apud Autores practicos obſervationes id teſtantur, qvas hîc allegare ſuperſedeo; lubet potiùs paulò penitiùs examinare & perqvirere naturam & modum operandi Iræ, hæc enim inter animi affectus cæteros Podagricis magìs freqvens magisqve nociva exiſtit.

XXIII.

Si igitur ad iram ſeriò attendimus, concipiamus oportet, ſpiritus in irâ admodùm commoveri, ſeſeqve vindictæ nimìs inhiantes valdè diſtendere à centro ad peripheriam totius corporis, hinc oculi fulgent, totum corpus tremit, ipſi crines moventur, eriguntur, & locus, qvi valdè iratum includit, ipſi nimis anguſtum eſt ſpatium, adeò ſpiritus cupidi ſunt ad ſeſe diſtendendum hoſtemqve invadendum; dum verò ſpiritus ita ſeſe diſtendunt continuò, & tamen corpori alligati, vel, ut ita dicam, radici firmiter cohærentes ulteriùs vel extra circulum naturalem ſeſe dilatare neqveunt, in ſeipſos agunt & in gyrum impetuosè moventur, ſicqve totum ſyſtema ſpirituoſum ſub figurâ & ſpecie rotæ celeriter circumgyratæ exiſtit, ita enim ſpiritus & qvalitates eorum eſſentiales ſive radicales inſtar rotæ invicem cohærent, hinc & vocabulum rota nativitatis legere eſt in *Epiſt. Apoſt. Jacob. cap. 3.* Spiritibus igitur ſic impetuosè moventibus & in ſeipſos agentibus, magna fit particularum ſpirituum colliſio & attritio, una alteram atterendo acuit, ſicqve ſpirituum textura anteà plana, lævis & æqvaliter cohærens inæqvalis, aſpera redditur, non aliter ac fit cum radiis ſolaribus, qvi, dum per vitrum uſtorium colliguntur & comprimuntur, etiam in ſeipſos agunt, ſeſe atterendo & collidendo acuunt; hinc radii iſti anteà blandum calorem inducentes, jam acres ignei redditi comburunt & æſtum corroſivum valdè dolorificum inferunt. Hùc referri qvoqve poteſt, qvod *Helbig in Intr. in ver. & inaudit. Phyſ.* recenſet de ſuo menſtruo inſipido planeqve ſimpliciſſimo ipſi viſo, in qvo ſi debiti naturæ gradus per ignem invertuntur, modò qvalitas acida, modò alcalica, modò ſulphurea prædominatur & ſeparatim ſe ſiſtit.

XXIV.

Hæc ita ſe habere, ulteriùs eluceſcit & manifeſtum fit, ſi ad naturam ignis attendimus, etenim ſpiritus in ira admodùm æſtu-

ant & ignei evadunt, dici autem poteſt, ignem ſive calorem exci-tari ex particularum nitro-aërearum ſulphurearumqve mutuò ſe commoventium impetuoſa fermentatione, ubi ſalinæ præſertim particulæ, quæ ad ignem conſtituendum neceſſariò concurrunt, in apricum proveniunt & valdè acuuntur. Novi eqvidem plurimos ſtatuere, ignem ex ſolis particulis ſulphureis valdè commotis conflari, verùm ſi accuratè ignis naturam ejusqve effectus examinamus, aliter nobis imaginari non poſſumus, quàm qvòd diverſi generis particulæ ad ignem conſtituendum neceſſariò concurrant, admodùm enim impetuoſa in igne eſt motio, & qvaſi fermentatio particularum, & particulæ fixæ anteà & temperatæ impetuosè reſolvuntur, ſubtiliſantur & acuuntur. *Ingenioſiſſimus & ſæpè laudatus Majow* me in hac opinione confirmat, iſte enim in *ſuis Scriptis* hinc inde non ſine ratione judicat, particulas ſulphureas nitro-aëreis particulis in ſtatu fixationis exiſtentibus motu velociſſimo igneôqve commovendis aptas natas eſſe; hoc in nitri accenſione, dicit, manifeſtum eſt, cujus accenſi particulæ nitro-aëreæ, qvæ anteà in ſalis fixi amplexu fixæ & inertes fuerunt, particularum ſulphurearum ope in motum ſulphureum concitantur. Et utiqve, pergit, probabile eſt etiam particulas nitro-aëreas aëris in ſtatu fixo eſſe, antequam eædem in motum igneum ſuſcitantur. Juxta qvosdam ⊖ia fixa ſunt particulæ terreſtres ab acido fixatæ, hæ igitur particulæ dum in igne ſubtiliſantur, fiunt acidæ, hinc & ſecundum *Majow* ſententiam in ♆e acidum formaliter non præexiſtit, ſed dum accenditur, & deflagrat ⊖ fixum terreſtre, acuitur, ſubtiliſatur demùm in ⊖ acidum, modum, quô hoc fieri exiſtimat *Autor*, vide in *ſuis Scriptis*.

XXV.

Idem hic *Autor* eò inſuper progreditur, ut non impoſſibile arbitretur, quin ignis ſine particularum ſulphurearum præſentia conſletur, cujusmodi, dicit, videntur eſſe ignes à radiis ſolaribus ſpeculi uſtorii ope collectis, ignesqve cæteri cœleſtes, qvod qvidem verum eſſe puto, ſi particulæ ſulphureæ corporales craſſæ ſubintelligantur, aliàs enim nitro-aëreæ, aliæqve particulæ ſalinæ ſæpè in ſinu ſuo qvamvis occultatas & non ſemper obvias, conſpicuas, fovent particulas dulces pingves & qvaſi oleoſas ſeu ſulphureas,

qvod

qvod probatur ex ſpiritu nitri aliorumqve ⊖ium, eò usque ſubtiliſatis, ut ſtriatim prodeant, hæ ſanè ſtriæ oleoſæ probant & adſtruunt exiſtentiam ſive præſentiam particularum ſulphurearum, ſeu, ut accuratiùs loqvar, æthearum dulcium pingvium, quæ cum ſuo ſimili ſubtili acido junctæ & ab eodem fixatæ abeunt in corpus craſſum corroſivum deflagrabile. Æthereæ verò hæ particulæ ſubtiles ſpirituoſæ non in corpus craſſum fixatæ ſufficiunt ad lumen & ignem ſpiritualem minùs corroſivum cum ſalinis particulis conſtituenda, hinc & lumen cum *Majow* ſolis particulis nitro-aëreis per aërem disſeminatis & ſingulariter commotis asſcribi poteſt, qvando igitur particulas nitro-aëreas nomino, includuntur unà cum particulis ⊖inis particulæ aëreæ ſeu æthereæ pingves ſpiritualiter oleoſæ ſive ſulphureæ. Hæc, qvæ dixi, vera eſſe demonſtrant, partim **experimentum Becheri, qvod extat Sect. V. cap. 2. theſ. 25.** juxta quod ſpiritus æthereus ex luto deſtillatus inſipidus cum ſpiritu aceti miſcetur in verum ſpiritum ardentem, partim & **illud**, qvod ego non ſemel tentavi cum vino, qvod juſtâ proportione alcali cujusvis fixi prius impraegnatum & deſtillatum exhibet loco ſpiritus vini liqvorem, uti ſpiritus vini, ſtriatim adſcendentem pingviuſculum habentem ſaporem inſtar olei amygdal. dulc., qvi inflammabilis haudquaquam exiſtit, ſine dubio ob ⊖inas particulas ſeparatas, alcali enim fixum additum particulas ⊖inas volatiles acidas ſibi adjunxit & ſeparavit ab æthereis particulis, alii idem cum ſpiritu vini tentârunt, hunc alcali fixo ſufficienter imbutum, leni igne in MB. deſtillârunt, ſicqve acqviſiverunt primò ſpiritum ardentem valdè acrem ſtriatim non prodeuntem, hunc excepit liqvor æthereus dulcis ſtriatim adſcendens, aqva cum ⊖e fixo in fundo remanſit.

XXVI.

Verum igitur erit ad ignem particulas diverſi generis concurrere, nempe æthereas ſive ſulphureas & ⊖inas particulas: æthereæ verò diffuſivæ tenuiſſimæ ſunt naturæ, in has agunt particulæ ſalinæ, hisce ſeſe ſaturare, has ſibi jungere vel in ſe recipere volunt, æthereæ verò particulæ ſe condenſari vel figi nolentes, eò magis ſeſe diſtendunt & ſalinas particulas ſecum rapiunt, attenuant & reſolvunt, ſicqve mutuus harum particularum in igne

est congressus & pugna ; placet hûc *Mystici alicujus Autoris* de hac materiâ ipsa apponere verba, quæ sic sonant: **Aus iedem Feuer gehet eine Qvaal aus/ als Lufft / nehmlich wenn das Feuer die Wesenheit als die Tinctur in sich mit Gewalt frisset und anzeucht / so fleucht die Wesenheit auch wieder mit Gewalt aus der Qvaal des Feuers/ denn sie ist also subtil / daß sie das Feuer nicht kan halten/ und ist also ein anziehen und wieder fliehen. Und wenn das Feuer die Wesenheit als Lufft nicht an sich zöge / so ersticktte es und würde finster** &c. Particulas salinas imprimis etiam ad ignem constituendum facere, hominum qvoqve constitutio naturalis, si attendatur, demonstrat, isti enim homines massam sangvineam magìs biliosam acrem obtinentes etiam magìs proclives sunt ad iram, eamqve concipiunt vehementiorem, ubi non tàm copia, quàm acrimonia bilis inculpanda venit. Sic *Then Rhyne de Vet. Med. p. 102.* annotat, quòd bilis in hominibus s. n. cum aliqvali acrimoniâ amaricet, in viperis verò valdè sit amara, valdè viridis acris, hinc est, quòd viperæ admodùm sint iracundæ, sicqve spiritus in ira admodùm ignei acres redditi morsum inducant malignum, venenosum. Et ne homo in nimia irâ planè accendatur & deflagret, optimâ naturæ ordinatione bili adjuncta est aqvositas, quæ deflagrationem bilis impedit, hæc autem si absumta, bilisqve sicca reddita est, uti resina facilè ignem concipit & deflagrat, uti qvivis id cum bile ex animali desumptâ experiri potest. Historia, qvæ legitur, nî fallor, in *Actis Hafniensibus*, juxta qvam, mulierem ex nimio & per multos annos continuatô Vini spiritûs usu aliqvando sellæ insedentem spontè in totum exceptis ossibus combustam esse, narratur; an vera sit, aliis judicandum relinqvo, mihi planè impossibilis ista combustio non videtur.

XXVII.

Postqvam itaqve modum operandi iræ, qvem qvidem ego concipere mihiqve imaginari potui, proposui, restat, ut adhuc addam, qvomodo ira Podagram excitet, qvod ita explico, scilicet qvatenus spiritus in irâ modo suprà descripto ignei acres redduntur, eatenus humores qvoqve alterantur, acres fiunt, corrumpuntur, sicqve disponuntur, ut in eosdem spiritus constringens lapidificus meliùs agere eosdemqve condensare possit, deinde ipsa materia seu

semen

ſemen podagricum, dum ſpiritus omnesqve humores in ira ita tumultuantur, excitatur & in actum deducitur. Spiritus non tantùm, ſed & ipſos humores ex irâ acres fieri obſervationes teſtantur, ſic novi qvosdam ad iram admodùm proclives, qvi ſi eandem vehementem poſt paſtum concipiunt, alimentum in ventriculo exinde mox alteratur, corrumpitur, ita ut à natura in qvibusdam per vomitum, in aliis per ſeceſſum eliminetur tanqvam excrementum inutile, inſuper in qvibusdam ſedes alvinæ ex ira admodùm corroſivæ acres obſervantur; Choleram qvoqve ex ira excitari nonnunqvam in ſubjectis qvibusdam notatur.

XXVIII.

Signa, quæ imminentem præſentemqve Podagram, ***Diagnoſtica***, qvæ verò futuram ejus conditionem definiunt, ***Prognoſtica*** audiunt. Imminere paroxyſmum indicare ſolet præcedens utplurimùm qvædam febricula, tanqvam diaria, conjuncta cum appetitûs proſtratione, nauſeâ, freqventi oſcitatione &c. Interdum qvoqve laſſitudines & articulorum debilitates, fluxiones & extenſiones difficiliores accedunt. Præſentem eſſe teſtatur dolor pungens diſtenſivus & pulſatilis, huic tumor & rubor ſæpè ſuperveniunt. Qvoad ***Prognoſin***, Podagra lethalis morbus non eſt, per accidens tamen inducere mortem ſolet, qvando materia morboſa per externorum remediorum abuſum, & per externum frigus in corpus retropellitur, & tunc ægri experiuntur cordis palpitationem, ſuffocationes ſeu ſtrangulationes, ſæpè qvoqve convulſiones. Sic qvidam mercator Lipſienſis podagricus nudos pedes ventibus frigidis exponens continuos eosqve lethales paſſus eſt ſingultus. Inveterata & hæreditaria Podagra difficiliùs curatur, ac eadem junior minusque hæreditaria. Qvibus ſynovia eſt corrupta, facilè alterabilis, ab eâqve oritur Podagra, hæc qvoqve curatur difficiliùs, ac ea, qvæ ortum ducit ab aliis humoribus corruptis, hi enim faciliùs à medicamentis corriguntur, ac ſynovia, qvam medicamentum ita facilè attingere neqvit.

XXIX.

Cura reſpicit partim ad ***præſentem paroxyſmum***, partim extra eundem ad ***radicalem cauſæ ſublationem***, partim ad ***productum morbi ſ. jam natos tophos nodosque.***

In

In ipso *Paroxysmo* indicantur primò ea, qvæ coërcent, figunt, corrigunt, temperant gas enorme sive effluvia spirituosa peregrina fermentativa, qvæ scilicet ex fermentatione humorum qvorundam putrefactiva exeunt & in humores nostros & spiritus agunt, eosqve in fervorem & orgasmum redigunt, imò hîc in Podagra qvasdam particulas dispositas condensant. Talia sunt terra sigill., bolus armen., terra vitrioli dulc., hæmatitis, fl. sulphuris, oc. ♋, ras. C. C., C. C. ustum, corall., ras. dent. apri, mandibul. luc. pisc. dens hippopotam., unicornu, ebur, ossa humana, ♁ diaphor. vel simplex vel ♂le, cinnab. ♁ii, antihect. Poter., magister. marcasit.

Secundò indicantur resolventia, quæ & dicta effluvia peregrina resolvunt, disjiciunt, & quæ insuper ipsos humores à dictis effluviis jamdum alteratos, corruptos & condensatos vel in M. S. adhuc existentes, vel ad articulos jam depositos resolvunt & expellunt. Hæc resolventia qvò temperatiùs agunt simulqve temperant, eò tutiùs & præstantiùs operantur. Primatum inter hæc obtinent spiritus ⊖is ✳ci, spir. ♀ri, spir. ⊖is ✳ci ♀risat., spiritus ⊖sus, ⊖✳cum depur., ♀ vitriol., ⊖ ♀ri volatilisat., borrax, arcan. dupl., essent. lignor., item chamædris, chamæpytis tanquam herbæ affectibus articulorum singulariter dicatæ. ☿ alia hûc quoque referri possunt.

Tertiò indicantur anodyna, quæ nimium dolorem sive sensum irritationis tollunt, mitigant, poros cutis ex dolore constrictos laxant, spiritus ex dolore nimio debilitatos & qvasi relaxatos roborant, sicqve faciunt, ut materia peccans meliùs & citiùs expellatur; hoc verò præstant opiata, papaverina, & præprimìs 🜍ra mineralium anodyna.

XXX.

Medicamenta, quæ dictas tres indicationes adimplent, & in genere saltem sunt recensita, in specie jam examinare, & eorum modum operandi perqvirere non inconsultum erit, quò sic innotescat, qvænam ex hisce huic vel isti subjecto magis sint appropriata, & qvænam potissimùm meliorem ineant combinationem. Qvod igitur attinet medicamenta, qvæ primæ indicationi satisfaciunt, hæc in genere operari videntur, qvatenus particulas pingves dulces æthereas in sinu suo fovent, quæ in corpore à calore

vitali

vitali resolutæ effluvia fermentativa sive materiam salinam acrem, acidam plùs minùs subtilem spirituosam, hinc inde in corpore oberrantem, figunt, temperant, sicqve orgasmum p. n. humorum & spirituum sistunt, non aliter ac spiritus æthereus insipidus ex terris argillaceis, qvoad gustum & tactum pingvibus ac qvasi oleosis, secundum *Becheri* experientiam ♌tus, cum vino ignobili & acidiori permixtus, illud mirum in modum emendat ac fortificat, dum scilicet 🜊dum fixum temperat, volatilisat & cum eo in 🜍eas abit particulas. Et sicuti spiritus ex limo & carbonibus insipidus ♌tus temperat & figit spiritum vel 🜔 🜊ti in verum spiritum ardentem 🜍eum. Terra qvoqve communis qvod habeat vim figendi miasmata fermentativa acria, patet ex eo, qvando eadem recens morsui venenato cum fructu applicatur. Porrò de mineralibus & metallis notorium est, hæc ejusmodi particulas æthereas ☿ales & qvasi alcalinas in se continere, qvando enim ab ♁io abstrahitur juxta experimentum Boyleanum spiritus vitrioli vel nitri, & sic multùm veri 🜍is ad retortæ collum ♎tur, sanè hoc 🜍 formaliter non præextitit in ♁io, sed ex particulis 🜊dis & æthereis ☿alibus qvasi alcalinis, mediante △, in se invicem agentibus seseqve mutuò figentibus, formatum & productum est.

XXXI.

Medicamenta suprà allegata ex regno vegetabili desumta, ut: oc. ♋, C. C., ras. dent. apri, mandib. luc. pisc., unicornu &c. ejusmodi particulas pingves æthereas qvoqve sibi conjunctas habere, constare potest ex eo, qvòd qvædam pingvedo sive oleositas in istis gustu percipi possit, & qvòd promant spiritum urinosum; spiritus verò seu 🜔 volatile urinosum est concretum ex particulis oleosis & 🜊dis invicem solutis, volatilisatis, & combinatis constans: hinc ex oleis vegetabilium & mineralibus 🜊dis invicem digestis, & cum additione 🜔is fixi ♌latis 🜔 volatil. urinosum ♎tur vel ♌latur, & ex spiritu vini qvoqve & spiritu nitri *Glaserus* 🜔 volatil. urinosum ♎at. Cùm verò 🜔 vol. urinosum formaliter in mixtis non insit, tantùm oleosum qvid, qvod non qvidem sapore, ast virtute alcali est, hinc in dictis simplicibus omninò ejusmodi particulæ æthereæ & qvasi oleosæ agnoscendæ sunt, dico, qvasi

oleosæ, id est, non sunt particulæ in corporali crassa textura oleo-
sæ sive sulphureæ, sed spiritualiter tales, id est, sunt particulæ, qva
ab accedente 🜊do fixatæ, demùm abeunt in oleosas crassas particu-
las, *vid. suprà Th. XXV.* In dictorum confirmationem adhu
notetur, argillaceas terras ferè omnes in ♌latione spiritum volatilem
urinosum spiritui ♀ri perqvàm simillimum largiri, qvi suprà alca
fixum, eodem modo, qvô *Boyle* spiritum lignorum ♌lat, coboba-
tus, planè urinosus evadit, & quidem eæ potissimùm terræ argilla-
ceæ, quæ aëri magis obviæ & expositæ sunt, ut in easdem aër libe-
riùs agere & in iis figi possit, ejusmodi spiritum alcalicis urinos
valdè affinem promunt, cæteræ terræ argillaceæ in inferioribus te
ræ sive foveæ locis, (die in den untersten Schächten liegen /) sit
hunc spiritum haud largiuntur, oleosæ enim particulæ sese debe
aëri, & omne oleosum est de familia aëris; hinc est, qvòd animal
ob continuam aëris inspirationem 🜔ibus urinosis volatil. copio
scateant. Hùc referri qvoqve potest experimentum meum, cuj
suprà mentionem feci, qvando scilicet ▽m calc. viv. & rorem m
jal. miscui & exinde nitrum copiosum acqvisivi, particulæ enim
🜊dæ vol. in rore majali invenerunt particulas æthereas pingves i
▽ calcis viv. ad constituendum nitrum necessarias, ab hisce par
culæ 🜊dæ vol. fuerunt fixatæ & temperatæ.

XXXII.

Circa usum antihect. Poter., magist. bismuth. ♄nini diapho
♁ diaph. ♂lis annoto, quòd magist. bismuth. & ♄nin. diaph.
♄no paratum, præ aliis conferant in Podagra cum magno æstu co
junctâ, optimè enim refrigerant, &, fervore spirituum sic seda
potenter movent sudorem. ♁ diaph. ♂ale potissimùm appro
atum est humidioribus subjectis, exsiccat enim sicqve in his pot
tiùs movet sudorem, ac ♁ diaphor. simpl., vel magist. bismuth.
In subjectis magis siccioribus, & magis acribus tenuibus humori
gaudentibus, antihect. Poter. singulariter præ aliis confert. S
verò antihect. Poter. legitimè præparatum, candidi, non cærulei
loris, aliàs vomitorium est. Hâc occasione lubet hîc appone
modum, qvô ego antihect. Poter., sive meum ♃le diaph. sine
præparare soleo, scilicet sumo ♃is in laminas redact. p. ij. ♀r
♀r. ana p. iij. facio S. S. S. & in 🜊lo calcinari permitto, sic

redigitur in substantiam nigram friabilem & splendentem ex particulis intermixtis rubris, hujus massæ pulverisatæ p. j. misceo c. p. iij. nitr. & per vices ✝lo △to injicio, & detonationem instituo, qvâ peractâ, aqvæ simplici, pro edulcoratione, affusæ innatat pulvis subtilis candidissimus, uti fit in præparatione ♁ii diaphor. Loco ♀ri suprà assumti sumi licet nitrum, 🜍ris quoque dosis minui potest, commodiùs insuper limat. ♃is sumeretur. Juxta eundem hunc modum ex ♄no crudo, vel lythargyrio, minio, præparo ♄ninum meum diaphoreticum. Eâdem methodo paravi qvoqve ♁um diaph. ♂le, recepi e. g. limat. ♂ unc. ß. 🜍 drachm. ij. nitr. dr. ß. detonavi in concretum nigrum friabile 🜍rei odoris & saporis, hoc miscui cum ♁ drachm. v. & nitri drachm. ij., in ✝lum per vices injeci, & de cætero modum, qvi in præparatione ♁ii diaph. simplicis in usu est, observavi. Loco limat. ♂ etiam terra vitrioli dulcis adhiberi potest. Si limat. ♂ vel terra vitrioli dulcis hoc modo in concretum nigrum 🜍reum redacta sine ♁io c. ana nitri de novo calcinatur & detonatur, crocus ♂is evadit subtilis ▽æ innatans, uti ♁ diaphor. De ♁io diaph. ♂li planè candido suprà dixi, qvomodo istud paraverim.

XXXIII.

Circa medicamenta suprà ex regno vegetabili allegata, qvatenus non tàm suis particulis æthereis, sed totâ substantiâ operantur, etiam qvædam admonere placet: Scilicet quòd lucii piscis non tantùm maxillæ, sed & omnia ejus ossa, ut & similes animalium partes, imprimis oc. ♋ præ aliis absorbentibus & ♎tibus conferant, qvatenus faciliùs solubilia existunt, hincqve ultra primas vias distribuuntur & operantur, abeunt enim cum ✝do, qvod in primis viis absorbent, in concretum ⊖sum & propterea diuretica evadunt, resolvunt, refrigerant. Cætera ♎tia magis fixa terrestria & præprimis calcinata marina, ut: Specif. febrile *Crollii* ex testis longis cochlearum, & *Strobelberg:* ex matre perlarum calcinatis, crebriùs non absque nocumento propinantur, & hîc in Podagra non adeò conferunt, inter calcinata tamen terrestria, si qvis iis uti velit, tutiùs sumuntur C. C. ust. & ebur ust., qvæ insigniter qvidem absorbent & attemperant, ast non adeò concentrant & figunt, ac illa marina calcinata: In subjectis podagricis magis humi-

dioribus ſive Phlegmaticis hæc præ aliis uſum habere ſolent. De C. C. uſto notabile eſt, qvòd, ſi qvis lectum petens veſperi iſtud ad drachm. j. asſumat, iſte manè ſurgens ſalivam in ore admodùm dulcem deprehendat, inter prandendum verò phlogoſes patiatur & facies admodùm rubeat; vari qvoqve in facie, ſi adſunt, exinde benè erumpunt, brevi verò optimè rurſus ſubſident & evaneſcunt. Dens hippopotami & unicornu potentiùs imbibunt ✝da, acriora, & concentratiora, ac C. C. aliaqve. Aliàs C. C. in tenues cylindros ſciſſum à radiis ☉aribus per ſpeculum uſtorium citò calcinatur à qvibusdam in optimum bezoardicum, cujus ſcrup. j. potenter movet ſudorem & ad epilepſiam infantum certiſſimum judicatur medicamentum. De unicornu qvoqve conſtat, hoc ſine debilitate ſudorem excitare, ſpiritus enim ſimul confortat, eosqve convulſivè motos demulcet, hinc ſpecialiter dicitur abſorbere ✝da, ex qvibus oritur epilepſia infantum & unde provenit eryſipelas adultorum; In cavea Baumannianâ inveniuntur oſſa, quæ loco unicornu foſſilis inſervire poſſunt, & qvæ ego non ſemel admodùm proficua expertus ſum. Ebur ſine △e præprimìs ad mala ex iracundiâ nata laudatur, qvibus & oc. ♋ optimè medentur.

XXXIV.

Recenſita hæc medicamenta non tantùm orgaſmum p. n. humorum & ſpirituum in Podagrâ curant, ſed & eundem in aliis morbis, in ſpecie in febribus malignis & peſtilentialibus, in cholera, dyſenteriâ &c. egregiè & tutò ſiſtunt. Novi ***Excell. Dn. D. Rivinum, Pract. Celeb.*** in peſte Lipſienſi pulverem compoſitum ex ejusmodi ſimplicibus, ſcilicet ex terra ſigill., ♁ diaphor. ♂li, ſuccin. fl. 🜍is, ocul. ♋, cinnab. nat. &c. felici ſucceſſu adhibuiſſe; In dyſenteriâ, imprimis malignâ qvàm præſentaneo & tuto uſu ejusmodi pulvis ægris propinetur, præteritâ æſtate ſum expertus, mox enim omnia ſymptomata pejora & maligna exinde maximam partem remittunt, dum acres malignæ qvalitates temperantur, corriguntur & præcipitantur, inteſtinorum convulſiones tolluntur, ſpiritus demulcentur & qvieti redduntur; pro re natâ variare pulverem hunc licet, nunc qvædam omittendo, qvædam verò addendo; & quidem in dyſenteriâ optimè ad convulſiones inteſtinorum unicornu

pr

pro ſcopo adſtrictorio terra catechu, & ad dolores nimios tollendos, opiata adduntur; vel qvoqve tinctur. terr. catechu & eſſent. opii ſeparatim propinare confert. De ♃tibus hisce qvid præſtent & qvomodo operentur, admodùm accuratè & ingeniosè locutus eſt *Excell. & Celeb. nunc b. m. Dn. D. Etmyllēr in ſua diſp. de ♃tium vero uſu falſoque abuſu.*

XXXV.

Seqvuntur nunc medicamenta ſecundæ meæ indicationi inſervientia, qvæ ſunt reſolventia; qvorum uſus qvàm latiſſimè ſeſe extendat & in qvàm plurimis morbis eadem conveniant, non ignotum eſſe poteſt iſtis, qvi paulò intimiùs morborum cauſas rimantur. Hîc non poſſum non, qvin apponam egregium edictum *De la Courvee*, qvod profert in *ſuo Tract. de Nutritione Fætûs in utero pag. 77:* Si me audias, inqvit, hîc te moneo, Lector Candide, ut, relictis iis, qvæ potiùs ad lucrum & pompam faciunt, qvàm ad rei veritatem, uni morboſæ, & qvæ ſemper eſt præter naturam, humorum coagulationi, uniqve eorundem colliqvationi, cui perpetuò intendit Natura, diligenter ſtudeas; hujus adjuvandæ, illius corrigendæ, modum ſi aſſecutus fueris, habebis in praxi ſecretum omni auro potabili omniqve antidoto præſtantius; deniqve plus poteris in agenda praxi, qvàm ſi curſus aſtrorum, metallorum vires, & totam callueris panaceam. Conſideremus, qvæſo, ſangvinem aliosqve humores viſcidos, non ſatis digeſtos, ſubactos, qvot morbos non inferre poſſint? Glandulæ meſenterii exinde dum facilè obſtruuntur, non tantùm fluxus cœliaci, atrophiæ ſunt cauſa, ſed etiam magna pravorum humorum colluvies, lentarum febrium, mali hypochondriaci, variorumqve contumacium ac diuturnorum affectuum cauſa inter meſenterii membranas coacervatur; obſtructiones qvoqve viſcerum, à qvibus permulti ſubſeqvuntur morbi, ab hac potiſſimùm dependent causâ, pulmones exinde infarcti aſthma difficilemqve gignunt reſpirationem: in corde ipſo exinde ejus producitur palpitatio: in cerebro facilè ſtagnantes humores viſcidi inferunt ſuſurros, capitis gravitatem, inde ulteriùs actiones animales principales variè læduntur. Qvid! humores viſcidi dum hinc & inde in corpore facilè ſtagnant, ex ſtagnatione & morâ variô modô corrumpuntur, acorem contrahunt; qvi acor ſecundùm *Etmylleri* ſen-

sententiam, per specificas aciditatum differentias & junctas alias proprietates, mille modis ut variat, ita & mille malorum in corpore autor existit. Fac verò, ut humores naturalem fluidam conservent, vel eandem amissam rursus acqvirant consistentiam, qvò benè per corpus moveantur, & spiritibus vitalibus imbuantur, sic non facilè stagnabunt, nec per conseqvens acorem facilè contrahent. Resolventia ergò in usum adhibeantur.

XXXVI.

Inter resolventia suprà enumerata primus est spiritus ⊖is ✱ci, qvi inter cætera ⊖ia volatil. urinosa freqventiùs usurpari solet; juxta virtutem resolvendi simul obtinet vim acorem absorbendi, hinc utut ⊖ia vol. urinosa minùs inter 🜿tantia numerata aliàs fuerint, potiora tamen ferè inter illa ipsa secundum *Etmylleri* sententiam existunt, dum altiùs omninò penetrando, & ipsarum partium tâm fluidarum, qvàm solidarum texturam subintrando, multis in casibus summè activa existunt, ubi fixorum effectus ferè hebescere observatur. Ex oculis cancrinis ♌latûr spiritus urinosus volatil. multò temperatior & subtilior spiritu ⊖is ✱ci, aliqvomodò enim salsus existit, quamvis salsedo ad gustum non adeò manifesta sit, & qvia hic spiritus △e apertô elicitur, vaporosus, subtilis evadit, & ob salsedinem subtilisatam & spirituosam redditam dulcis qvodammodò saporis est, non adeò acris, uti spiritus ⊖is ✱ci, qvi non est tàm vaporosus subtilis spiritus, quàm potiùs sal volatile in phlegmate resolutum. Eandem ob causam spiritum ♀ri ritè præparatum aliis salibus volatil. urinosis longè præstantiorem æstimandum esse, puto. Qvidam spiritum ♀ri cum ana spirit. vini conjungunt, & per aliqvot dies digerunt, deinde leni igne ♌lant, sic spiritus ♀ri cum spiritu vini junctus sine omni fœtore adscendit, & remanet in fundo phlegma fœtidum inutile. Qvod attinet spiritum ⊖is ✱ci ♀risatum, qvem inter resolventia suprà quoque recensui, iste sanè præstantissimus est; primus hujus spiritûs inventor *Petr. Johan. Faber* dicitur, qvi hinc inde in *suis Scriptis* hunc spiritum extollit, & in specie laudat in obstructionibus glandularum mesenterii, in lienis tumoribus &c. *Dn. D. Langius, Professor olim Lips. celeberrimus*, hunc spiritum qvoqvo magnificecit; genuinam hujus spiritûs præpara-

parationem mihi communicavit *Excellentiſſ. Dn. D. Rivinus*, qvæ hæc eſt: Sal ✱acum & ſal ♀ri benè depurata, ſolvuntur in ſpiritu vini ſemel ſolummodò rectif., hæc ſolutio poſt aliqvot dierum digeſtionem per retortam in ∴ mox forti & æqvali igne deſtillatur in urinoſum & ſalſo-dulcem ſpiritum, ſi ſpiritus hic à capite mort. aliquoties cohobatur, totum ferè caput mort. ſimul abit in ſpiritum eundemqve valdè fortificat. Hic verò ſpiritus, qvòd non ſolùm in morbis jam recenſitis, ſed in multis adhuc aliis, & in ſpecie in Podagra, magnæ ſit efficaciæ, mihi firmiter perſvaſum habeo. Deſtillavi ego non ita pridem ſalia ſibi invicem contraria cum ſpiritu vini in ſpiritum ſalſo-dulcem, minimè urinoſum; in qvo licet qvoad guſtum nulla ſalſedo, craſſa ſcil. & corporalis, deprehendatur, ſal ſalſum tamen dulce & admodùm ſubtile in eo continetur, injectis enim ocul. ♋ ſucceſſivè adnaſcitur & adhæret ejusmodi ſal dulce, qvod in os ſumtum citò liqveſcit, in aqvâ ſimplici verò non ita facilè ſolvitur. Hic ſpiritus præter quod intimæ ſit admiſſionis & temperatè reſolvat, ſimul qvoqve temperat acrimoniam humorum, hinc ejus uſus polychreſtus eſt. Hâc occaſione recordor, ſal ♀ri volatiliſatum à qvibusdam præparari, dum ſal ♀ri à compari & proportionato +do ſaturatur, & mediantibus tribus vel 4. cohobationibus volatiliſatur, ut tranſcendat in vas recipiens, in eoqve abeat in chryſtallos vaſi firmiſſimè adhærentes, hi chryſtalli blandâ & ſubtili dulcedine lingvam feriunt, & citiſſimè liqveſcunt in ore, difficulter verò ſolvuntur in aqva ſimplici, largâ in copiâ hæc affundatur neceſſe eſt, donec in totum dictos chryſtallos reſolvat. Si verò hisce chryſtallis ſuperfunditur ſpiritus vini ♀riſatus, facilè in eo ſolvuntur, & non tantùm optimum menſtruum, ſed & egregiam & multi uſûs medicinam conſtituunt.

XXXVII.

Meritò hûc qvoqve refertur *Tachenii* ſal viperinum urinoſum volatile à blando & grato +do ſaturatum, cujus meminit in *Hipp. Chym. pag. 88 & pag. 104.* ibidemqve admodùm ejus uſum celebrat in morbis qvàm plurimis, & præſertim in Podagra, Arthritide, ſuisqve ſpeciebus; pergit autem hoc ſal, inquit *Autor*, per omnes corporis officinas in occulta ſalina forma, ſudoris inſtar, cum verò

reperit

reperit acidiorem ſaporem in cavitatibus, & in juncturis, & articulis, tunc deſerit proprium ✛dum, & combibit potens illud doloroſum & ardens. Memini me legiſſe diſputationem Wittebergæ habitam de Salis Tartari Volatiliſatione, in qvâ primò proponitur modus optimum ſpiritum ♀ri elaborandi, deinde oſtenditur, qvomodo hic ſpiritus ♀ri à chryſtallis ♀ri blandè ſaturetur in ⊖ ⊖ſum volatile, qvod ***Autor iſtius diſputat:*** in omnibus convenire exiſtimat cum ***Tachenii*** ⊖e viperino ſaturato. ***Excellentiß. Dn.D. Cramero*** in freqventi uſu erat, ſpiritum ⊖is ✳aci ex tempore additô ſpiritu ✛do minerali q. ſ. ſaturare & temperare in liqvorem ⊖ſum volatilem multi uſûs. Ego ſanè hîc diffiteri nolo, me in qvàm plurimis infantum morbis hunc liqvorem ⊖ſum ſemper feliciter & tutò adhibuiſſe, in ſpecie in eorum aſthmate humido, in duritie & tumore abdominis, in obſtructione glandularum meſenterii, in vomitu à materia viſcida orto &c. Inſuper in adultis admodùm proficuum hoc ⊖ ⊖ſum vel in formâ liqvidâ vel ſiccâ expertus ſum in vertigine & imminente apoplexiâ, in angina, præprimìs nothâ, in pleuritide, in apoſtematibus rumpendis, iisqve ruptis abſtergendis & evacuandis. Liqvor verò hic ⊖ſus, aliaqve ⊖ia ⊖ſa, ſubtilitate & intimâ penetratione, longè cedunt ſpiritui ⊖ſo-dulci in ***Theſ. præced.*** allegato. Arcanum duplicatum adhuc ſupereſt, de qvo breviter dico, hoc legitimè ex p. iij. nitri & p. j. vitrioli mixtis & in ✛do calcinatis, paratum, egregium eſſe medicamentum, calorem enim & ſitim optimè extingvit, temperatè reſolvit & corrigit bilioſo-acres humores, hinc etiam antiſcorbuticum eſt medicamentum & ſimul vim anodynam blandam obtinere dicitur. Ego non ſemel arcanum hoc duplicatum cum ana flor. 🜍ris vel ſuccino junctum, in pleuritide, & empyematibus thoracis, egregio cum fructu dedi, mox enim exinde dolores & calor &c. remittebant & materia peccans purulenta ſine ulla difficultate commodè rejiciebatur; Notavi inſuper, quòd ſemper, qvando arcanum duplicat. c. fl. 🜍ris in mortario miſcebam, exſurgeret odor admodùm alliatus, qvalis odor qvoqve 🜍ri ☉to ♁ii ultimæ ⩪tionis & anodynæ virtutis adſcribitur à qvibusdam.

XXXIIX.

Medicamenta ex regno vegetabili deſumpta & ab Autoribus practicis

practicis in arthritide laudata ſi examinantur, potiſſima horum vis reſidet in virtute reſolutiva & ſimul adjunctâ acores plùs minùs temperativâ. Sic chamædris & chamæpytis tanqvam ſpecifica præ aliis in arthritide medicamenta conſtant ⊖e volatil. acri aliqvantiſper temperato, & ſapor harum eſt amarus inſtar febrifugarum omnium, hinc reſolvendi, aperiendi & humores corruptos corrigendi & temperandi virtutem poſſident, ideoqve non tantùm in arthritide, ſed & in febb., lienis doloribus, ſcorbuto &c. feliciter uſurpantur, imò Veteres ferè in omnibus affectibus chronicis hasce duas herbas exhibuerunt. Alia inſuper reſolventia & alterantia in uſu ſunt, ſic in *Theſaur. Med. pract. Burnett. T. II. pag. 474.* hic extat pulvis: ℞. chamædr. chamæpyt. cent. min., ariſtol. ſalviæ, betonic. ana drachm. j. lign. qvajac. opt. & nigri unc. viij. ſingula ſeorſim in tenuiſſimum redigantur pulverem, & diligenter miſceantur. Hôc uno remedio perfectiſſimè curari Podagram ibidem dicitur. Decocta lignorum qvajac. ſarſapar. ſaſſafr. additis flor. anth. ſalv. chamæpyt. &c. qvalia in apoplexia & catharris præſcribi ſolent, etiam in arthritide ab *Autoribus*, in ſpecie *Felici Platero in obſerv.* exhibentur. Hinc ſi ſubjectum eſt catharroſum, vel ſi fluxiones fuerint copioſæ & freqventes, & totum corpus videatur ſiccandum, etiam alia anticatharralia propinari poſſunt: e. gr. Lig. C. C. ſuccinat., eſſ. ſuccini, eſſ. lignor., additô imprimis, ſecundùm *Clauderum in Tract. de Balſam. Cadav.*, ⊖e fixô; In forma pulveris terra ſigillat. bol. armen. ſuccin. unicornu &c. conjungi posſunt.

XXXIX.

Supereſt, ut paucis de +dis dicam, an hæc Podagricis conveniant, nec ne? Communiter opinio ſtatuitur negativa, cui qvidem ego qvoqve aſſentio, ſi ſermo ſit de ⊖ibus vel ſpiritibus +dis craſſis, crudis, fixis; aliter verò comparatum eſt cum ſpiritibus +dis volatilibus, hi enim dum volatiliſantur, ſubtiliſantur, atqve magis ſpirituoſi redduntur, ſimul etiam aliqvaliter dulcificantur, visqve eorum conſtringens (qvæ à particulis magis fixis, terreſtribus, adjunctis dependet) deſtruitur, hinc aſſumti facilè in corpore in vapores abeunt, & ſubtilia ſpirituoſa acria fermentativa miaſmata humores & ſpiritus in p. n. orgaſmum redigentia, deſtruunt, figunt,

non aliter ac spiritus acidus crudus, morsui venenato applicatus, vel ad aliqvot guttas infusus, citò & planè destruit & figit miasma venenatum, qvod aliàs per totum corpus sese diffudisset, humoresqve instar fermenti alterâsset & corrupisset. Conferunt verò hi spiritus +di magis subjectis biliosis, in qvibus spiritus magis fervidi ignei sunt, sic enim citiùs in vapores ab iisdem resolvuntur, nec in humores vel sangvinem, præprimis in sulphureas ejus particulas, agunt, easdemqve constringunt, incrassant. Adhuc præstantiores erunt hi spiridus +di volatiles, & magis tutus erit eorum usus in Podagrâ, si non solùm volatilitate, sed qvoqve adjunctâ acredine se commendant; sic de spiritu vitrioli volatil., qvi juxta *Paracelsum* Podagram, hydropem & epilepsiam debellare creditur, dicitur, qvòd sit sapore leviter qvidem +do, ast plurimùm acri & penetranti. Has qvalitates si obtinet spiritus +dus, Scorbuto qvoqve, cui aliàs +dum etiam nocere perhibetur, egregiè medetur; hinc *Möllenbroc. Tract. de Varis p. 209.* non satis extollere potest spiritum antiscorbutic. compos. D. Mich., qvi ex spiritu aperitivo Penot. cum spiritu cochlear. juncto constat; habet verò hic spiritus compositus, uti de spiritu vitrioli volatil. jam dixi, saporem leviter quidem acidum, ast plurimùm acrem & penetrantem. Meritò hîc qvoqve locum invenit spiritus formicarum ritè præparatus, eundem enim obtinet saporem, præparavi ego hunc præteritâ æstate ex formicis majoribus quàm optimum, eundemque in appetitu prostrato, in debilitate virium, aliisqve morbis, insuper in partu difficili egregium expertus sum. Secundùm *Agricol. in Comm. super Popp.* spiritus O continuato usu in potu ordinario sumtus, resolvit tartaream materiam, & expellit per urinam copiosum sabulum. Spiritus igitur +di volatiles, si non ex se ipsis, dum volatilisantur, acres simul fiunt, conjungantur cum spiritu acri vel cochlearum, vel alterius herbæ acris, aut cum spiritu vini dulcificentur, hinc qvoqve communis spiritus nitri dulc. optimè & tutò in usum adhibetur. Modum verò, qvô spiritus +di volatilisantur, cùm non unus, sed jamdum multi prostent, non opus erit, ut addam, hoc solummodò annoto, quòd nitrum in aqvâ simpl. solut. & à vitriolo vel O in ∴ per retortam vel alemb. abstractum & destillatum, largiatur optimum spiritum nitri volatil. Si verò loco nitri sumitur ⊖ commun. vel ⊖

✳cum,

*cum, non procedit, nullus adſcendit ſpiritus ⊖is. *Ut igitur* ſpiritus ⊖is volatil. obtineatur, tentavi ego, & addidi juſtam proportionem nitri, ſicqve non tàm ſpiritus nitri, qvàm ſpiritus ⊖is admodùm ſpirituoſus, ſubtilis adſcendit, qvi deinde per repetitam eandem operationem pro lubitu admodùm fortificari, magisqve ſubtilis, penetrans reddi poteſt, ut non cedat ſubtilitate & volatilitate ei ſpiritui, ex ⊖e *co fixo parato, cujus meminit *Thomſon in Obſerv. Epilog. Chym. p. 77.*

XL.

Nunc tandem & ad anodyna ſive narcotica, quæ tertiam ſuprà propoſitam expediunt indicationem, deveniendum erit, de qvorum præſtantia & utilitate nemo forſan dubitabit. Admodùm proficua eadem in Podagrâ expertus eſt inter Veteres *Felix Platerus, vid. ejus Obſerv. & Prax.* Recentiores verò qvod attinet Autores Practicos, ferè omnes opiata aliaqve anodyna non tantùm in Podagrâ, ſed & in calculo, colicâ, cephalalgiâ, aliisqve doloroſis morbis, mirum in modum laudant & commendant. *J. A. à Gebema in ſuo Tract.* **Eroberte Gicht** *&c.* præter moxam opiata medicamenta omnibus aliis antipodagricis præfert, & *pag. 67. & 71.* de iſtis pronunciat, qvòd non tantùm humores coagulatos & acres diſſolvant & temperent, ſed etiam +dum iſtud, qvod primaria & unica ferè cauſa Podagræ exiſtit, corrigant, temperent & removeant, ſicqve non palliativè, verùm radicaliter curent Podagram. Propinare verò debent opiata, juxta *Autorem pag. 68.* non ad 2, 3. vel ad ſummum 4. grana, ſed, urgente neceſſitate, ad 20, 30. & 40. gt. in formâ ſcilicet liqvidâ, neqve porrò tantùm in declinatione, ſed qvoqve in ipſo principio. Multùm verò, ut magis tutus horum ſit uſus, intereſt, ſi benè præparata fuerint opiata medicamenta, ne nimiam inferant narcoſin ſive ſpirituum torporem, ſed ſolummodò, ut *Helmontius* loqvitur, ſolam pacem & qvietem Archei, cohibitionemqve erroris & degenerationis digeſtivæ, vi ſuâ dotali reſtaurante, introducant. Paravi ego ante aliqvot annos, cum Lipſiæ adhuc morarer, eſſentiam opii claram, pellucidam, rubicundam, planè inſipidam, mediante enim ♌latione, opium omnem depoſuerat amaritiem atq; terreſtreitatem ſive fixam craſſam conſiſtentiam. Hanc meam opii

essentiam blandè & svaviter operantem sine torpore admodùm proficuam semper expertus sum in multis affectibus, præprimis non semel cephalalgias chronicas & diuturnas hâc essent. solâ, vel etiam additâ essent. ♂ dulc. feliciter curavi, tutò quoque & citò dolores dentium, etiam gravissimi & multa externa remedia respuentes, ex assumta semel vel bis essentiâ istâ circa ingressum lecti cessârunt & evanuêre; qvid insuper in aliis affectibus convulsivis, iisqve chronicis præstiterit hæc essentia, recensere lubens supersedeo, ut ostentationis notam declinem. Largiori aliàs dosi sumi potest, ad gr. 30, 40, 50. propinavi, insuper eadem natu minoribus infantibus planè innocua existit. *Excellentiss. Dn. D. Etmyller in Collegio suo therap.* ut & *in Dis. de Præcipitantibus pag. 90.* admodùm extollit & singularibus deprædicat laudibus seq. præparationem. Solvitur opium in ol. ♀ri p. d., & peractâ, per aliqvod temporis spatium, digestione, instillatur ✢tum ad punctum saturationis, rursusqve aliqvantisper digeritur liqvor, tandem ad spissitudinem evaporatur, & cum spiritu vini extrahitur in essentiam opii singularem, qvæ in etiam majori dosi sine torpore operatur. Hoc opium, qvod in hac præparatione amaritiem nondum deposuit, facilè ulteriùs digeri & inverti potest, ut essentia ex eodem præparata, minimè amara sapiat. In forma pulveris sive siccâ inter alias opii præparationes *Excell. Dn. D. Crameri* præparatio laudem meretur, qvando opium per spiritum vitrioli immutatur, & in pulverem siccum nigrum redigitur. Alia anodyna eaqve mitiora ex mineralibus desumenda, ob evitandam prolixitatem silentiô præterire cogor.

XLI.

Ex hisce recensitis medicamentis, scilicet præcipitantibus, resolventibus, & anodynis, pro ratione subjectorum & symptomatum, variæ componi formulæ, ægrotantibusqve cum fructu propinari possunt, non omissis, si opus, medicamentis ita dictis universalibus. Et qvidem qvoad Venæ sectionem, eandem non rarò in subjectis plethoricis cum fructu institutam fuisse, *Riverius in Observ. p. 224.* aliiqve annotârunt: esse verò venæsectionem in Podagra admodùm necessariam, omnibusqve vel qvàmplurimis singulariter prodesse, dici neqvit. Evacuantia sunt, qvæ meliorem in Podagra exhibent

usum,

usum, verùm minimè intelligi velim fortiora Purgantia, saltim sufficiant ea blanda, laxativa, qvò alvus naturaliter benè respondeat. Biliosis interim subjectis, si copiosis cruditatibus nidorosis scateant, evacuantia magis fortia sive purgantia aliqvot sedes procurantia cum successu felici propinantur; Sic *suprà Thesi XXI.* dixi de qvodam Podagrico bilioso, in qvo natura, imminente paroxysmô, cum magno levamine subseqvente biliosas instituit evacuationes. Conduceret hisce subjectis imprimis seq. pulvis purgans, qvi ℞. crem. ♀ri, ⊖ absynth., arcan. duplicat. ana scrup. ß. diagryd. gr. iij. M. In aliis subjectis ad alvum saltem blandè subducendam eamqve apertam servandam pilulæ usuales interdum assumi possunt, ut pil. Francofurt., vel ex sola aloë violat. additô antimoniô diaph. cum syr. absynthii paratæ: Si post assumtionem harum pilularum ⊖ qvoddam salsum resolvens, qvale est arcan. duplic., ♀r. vitriol. ⊖✻c. depur. sumitur, optimè & blandè promovet vim purgantium vel laxantium; Insuper & helleborina singulariter conferunt. Sunt, qvi fortiora purgantia commendant, verùm, licet speratum largiantur effectum, paroxysmus enim interdum remittit vel planè cessat, dum materia ad articulos tendens revellitur, eorum usus tamen adeò tutus non videtur esse, ventriculus exinde admodùm debilitatur, præterea & hoc modo videntur hîc operari, ut in febb. intermittentibus operantur, in qvibus qvidam ideò propinant purgantia fortiora, ut natura ex istis debilitata non sentiat & commoveat causam morbificam, hinc qvò fortiùs & cum majoribus torminibus operantur, eò certiùs paroxysmus febrilis vel nullus, vel admodùm debilis, subseqvitur.

XLII.

Sudorifera qvoqve & diuretica non rarò summo cum fructu adhibentur; qvamvis per suprà laudata medicamenta, postqvam humorum & spirituum orgasmus fuit sedatus, & materia morbifica ⚗tata atqve temperata, eandem Natura, suâ sponte, motu critico, vel per diaphoresin, vel diuresin, qvandoqve etiam per alvum expellere soleat. Nihilominùs si adsunt indicationes potiores vel ad diaphoresin, vel diuresin, Medicus eandem promoveat & naturam adjuvet. Sunt autem, qvod sudorifera concernit, eadem varia, hinc selectus instituendus, nec qvævis omnibus sine discrimine pro-

spinanda; In subjectis siqvidem tenerioribus vel temperata 🜔sa, vel +dula, vel 🜕tia ex animalibus desumta, ut ras. C. C. oc. ♋, mandib. luc. pisc. &c. sunt exhibenda. *Crato* nihil sudoriferis medicamentis ex usu continuo limat. C. C. in potu infusæ Arthriticis convenientius se invenisse dicit. Istis autem subjectis, in qvibus æstus non adeò urget, atque +dum magis fixum est, vel in subjecto magis viscido hæret, fortiora eaqve plùs minùs 🜁rea calida conveniunt, ut decocta lignor., vel essent. sive extract. non tantùm ex lignis istis exoticis, sed qvoqve ex herbis pectoralibus attenuantibus parata, item 🜔ia volatil., cinnabarina &c. Qvod de diaphoreticis dictum, idem de diureticis qvoqve valet. *Petr. Forest. Obs. 7. lib. 29.* recenset, qvòd qvidam ex doloribus arthriticis decumbens & membra non movere potens, decoct. bardanæ maj. in cerevisiâ sumserit, indeqve multùm lotii instar lactis albi eminxerit, sicqve à doloribus integrè curatus fuerit.

XLIII.

Nunc de Potu, qvisnam scilicet magis appropriatus & conveniens Podagricis in paroxysmo existat, qvædam qvoqve sunt monenda. Qvod igitur primò attinet vinum, hoc, ut & cerevisiam generosam vetustam evitent & ab iis abstineant, potiùs bibant Podagrici, imprimis qvi calidioris sunt constitutionis, & in qvibus magna sitis & æstus urgent, juxta sententiam *Tachenii*, aqvam simplicem, cui, ut ventriculus minùs eâdem oneretur, addatur modicùm sacchari vel admisceatur syr. violar., papav. &c. additô insuper succô limonum r. aurantiorum, vel etiam granatorum, horum enim +dum minùs nocivum est, ac +dum spirituum +dorum mineralium, qvi verò, uti suprà dictum, volatilisati vel temperati tutò & cum fructu in usum adhiberi, & potui infundi possunt. Non contemnendum qvoqve decoctum acetosæ & acetosellæ; præterqvàm enim, qvòd optimo colore rubicundo, ut & svavi vinoso sapore se commendet, particulas qvoqve in se continet terreas qvasi alcalinas, qvæ acores potenter figunt, & absorbent, hincqve M. S. ebullitionem compescunt & sudorem promovent. Ob dictas particulas terreas succus acetosæ 🜕tat solutionem sacchar. ♄ni. Solius aqvæ simplicis potum 5. vel 6. dierum spatiô in Arthritide commendat *Hornius in Arca Mosis pag. 153.* Qvid sola 🜄 simpl. in febb. simpliciter ardenti-

dentibus, in colica biliosa, in hectica &c. præstiterit, observationes Practicorum testantur. *Vid. idem jam citatus Hornius l. 2. p. 124.* item *Galen. Comm. 4. de vict. ac text. 12. aliique.* Sed inter alia potulenta, potus herbæ Thee omninò meretur, ut ejus mentionem faciam, siqvidem virtutes hujus herbæ eximiæ prædicantur, ita, ut apud Japonenses commune sit proverbium: Illene sanus non sit? bibit de optimâ Tsiâ; & qvòd *Japonenses* calculô & Podagrâ non corripiantur, id hujus herbæ virtuti asscribunt. Decocta autem in aqva exhibet potum acrem & amaricantem, & reverà aromaticum repræsentat saporem decocti majoranæ, cui deest odor, hinc, ejus virtutem in ⊖e volatili acri residere, videtur, hincqve vis stomachica, nephritica & cephalica, ut & spiritus exsuscitativa deduci potest. Hæ verò virtutes cùm & aliis herbis insint, hinc, qvod herba Thee præstat, istud & plures aliæ herbæ præstare, & eodem modo usurpari possunt, v. g. rad. card. benedict., sem. coriandr., anis., salvia, betonica, & imprimis rosmarinus, baccæ juniperi & sambuci. Vid. de hisce fusiùs *Tract. lectu jucundus & utilis ex Anglica in Germanicam hôc annô translatus lingvam*, cujus titulus: **Naturgemäße Beschreibung der** ***Coffee, Thee, Chocolate,*** **Tabacks** ***&c.*** Egregium qvoqve mihi videtur decoctum radicis tormentillæ, & bistortæ, sunt namqve juxta saporem stypticum valdè acres, & particulis terreis qvasi alcalinis gaudent, qvæ acores etiam malignos potenter figunt & absorbent, exinde M. S. ebullitio compescitur, & sudor copiosè subseqvitur. Magna autem est differentia, & non unus idemqve effectus exinde resultat, si præparata chymica ex omnibus jam dictis herbis, e. g. ol., spiritus, essent., extract. &c. sumantur, & si dictæ herbæ in ▽ f. leniter coqvantur, vel saltim in ▽ f. fervidâ infundantur, & propinentur.

XLIV.

Ordo tandem & externa medicamenta tangit, qvorum operatio consistit partim in resolutivâ, partim plùs minùs anodynâ & narcoticâ, partim in temperativâ & emolliente virtute, & qvidem hanc temperativam exercent, dum ratione suæ substantiæ temperatæ mucilaginosæ humorum aculeos sive acredines inviscant sicque temperant humoresqve induratos, coagulatos, emolliunt. Qvædam saltem, eaqve præstantiora mihi visa, recensebo. ℞. Vitell. ovorum

rum N. X. conqvassentur in frixorio, & super cineribus calidis coqvantur levissimè, cum ℔. ß. ol. rosat., usqve ad inspissationem, addendo croci drachm. ij: Hoc remedio vidi, inqvit *Barthol. Montagnana Cons. 242.* dolores in instanti sedatos, & si renovetur, pergit, sæpè, non fuit mihi necessarium recurrere ad alia auxilia. Idem *Autor Cons. 245.* in dolore intolerabili hoc laudat: ℞. opii unc. ß., croci drachm. j. terantur ista cum lacte vaccino, & cum medulla panis similaginei, donec totum cum lacte incorporetur ad similitudinem emplastri, qvod super locum ponatur. Alii cataplasma conficiunt ex medulla panis tritici, fl. rosar. chamæmel., rad. alth., cum vino vel lacte, additô etiam oleô rosaceô. Rursus alii ℞. herb. anagall., fol. ebul., ana M. ij. fol. hyosciam., sambuc. ana M. j. coq. in lacte vel vino, ad cataplasmatis consistentiam, & applicant. Sunt autem hæc ejusmodi cataplasmata, qvæ aliàs qvoqve feliciter in dolore dentium gravissimo, junctô cum tumore malarum, in angina, in tumore mammarum &c. usurpantur. *Excellentiss. Dn. D. Cramerus* solebat emplastrum præscribere hunc ferè in modum: ℞. empl. diachyl. cum gumm., de ran. cum ☿io ana drachm. iij. opii, myrrh. ana scr. ij. camph. croc. ana drachm. ß. bals. 🜍r. thereb. dr. ij. ol. later. q. s. F. Empl. Conveniunt verò hæc recensita in Podagra ita dictâ frigidâ, qvæ est sine magno æstu sive inflammatione, & qvam utplurimùm tumor comitatur: si enim febricula sive inflammatio adsit, dicta cataplasmata cum lacte cocta, aliaqve ungventa anodyna non adeò convenire, annotavit qvoqve inter alios *Tachenius l. c. p. 197. & 198.*

XLV.

Qvæ verò in Podagrâ calidâ, cum febricula & inflammatione absqve tumore conjunctâ, potissimùm conducant, paucis qvoqve recensebo, si priùs annotaverim, qvædam ex hisce utriqve, & frigidæ & calidæ, convenire Podagræ. Primò confert emplastr. *Crameri* jamjam recensitum, sed hunc in modum mutatum: ℞. emplastr. de sperm. ran., diachyl. ana drachm. iij. opii dr. j. minii dr. ij. camph., croc. ana scrup. j. ol. hyoscyam., lilior. alb. ana q. s. F. Emplastrum. Deinde non exiguæ sunt virtutis spiritus ⊖is ✳ci cum spiritu vini ana illitus, ⊖ ♄ni in spiritu vini solutum & illitum, 🜄 spermat. ranar., spiritus vini alcalisatus, Tinct. ♁ii alcalisata, spir. lumbric.

ter-

terrestr.,spir. urinæ,spir. juniperi, camph., præprimis cum anodynis, ess. opii,tinct. croc. &c. conjuncta. Qvidam balneum formicarum parari jubent, in qvo sedeat æger, qvamdiu ferre potest, & aliqvoties repetat, hoc valdè prodesse dicunt. Ego spiritum formicarum suprà laudatum aliosqve spiritus +dos volatil. imprimis cum spiritu vini temperatos præferrem. Sic butyrum ♉ ii ad drachm.j. mistum cum spir. vini ℔. ß. instar incantamenti podagricos dolores tollere. Autor est *Wepferus*. Addere placet adhuc unum, qvod mihi præ aliis magis arridet, & cujus usum ego non semel admodùm proficuum fui expertus; formula hæc est: ℞. ▽ sperm. ran., plantag. ana unc. ij. ⊖is ✳ci depurat. drachm.iß. ⊖ ♀ri dr.ij. spir. vini unc. iv. in qvibus solve opii drachm. j. croc. scrup. ß. M. Hæc formula pro lubitu variari potest, augendo vel minuendo opii & croci doses; loco spir. vini simpl. aqv. apoplect., item spir. theriacalis camphorat. sumi possunt, ⊖✳cum qvoqve nonnunqvam omittere aliqvis potest. Ejusmodi formulam in cephalalgiâ cum linteis, fronti applicatam, admodùm & citò conferre sæpiùs expertus sum. *Clauderus in Tr. de Balsamat. Cadav. p. 213.* ⊖✳c. ad p. j. & cin. clav. ad p. ij. in aqv. f. vel ♌latis soluta in sedandis & sopiendis punctionibus pleuriticis admodùm deprædicat. Mihi spir. salso- dulcis, de qvo suprà dixi, præ omnibus aliis, externo qvoqve usu, præstantissimus videtur. Non possum non, qvin adhuc mentionem faciam alicujus emplastri, cujus præparationem qvoqve *Tacben. Tract. de Morborum principe p. 200.* exhibet, hoc enim non immeritò à *Tachenio* magnis extollitur laudibus, in *qvodam Tract. Anglico* idem emplastrum sub alio nomine describitur, variiqve ejus usus, qvos veros esse novi, ibidem recensentur; in Podagrâ ita dictâ calidâ egregio cum fructu applicatur, & non solummodò juxta *Tachen* in declinatione contra debilitatem articulorum, sed etiam in principio ad dolores sedandos & inflammationem extingvendam.

XLVI.

Ad roboranda post paroxysmum membra aliàs, præter jam recensitum emplastrum, conferunt fomentationes ex herbis nervinis, origan., satyreja, thymo, artemisia, betonica, lavendula, chamomill. &c. in vino & aqvâ, vel etiam in +to coctis. Si doloribus cessantibus tumor remaneat, isteqve articulorum imbecillitatem & inflexibilita-

 tem

tem inferat, suprà laudata cataplasmata applicata citò opem ferunt. Mirè qvoqve roborantur partes, calorque innatus fovetur, si tempore vindemiæ immergantur pedes atque manus affectæ vinaceis post expressionem calentibus adhuc, vel, mustô calidô, calefactis manè per 15. dies. *Vid. Crato Cons. 34. lib. 7.* Alia externa medicamenta, quæ ad dolores podagricos hinc inde apud *Autores* laudantur, ut: ol. ranar., ol. lignor. fætid. in spir. vini solut., ol. ex ossibus human., ol. ceræ, ol. camphoræ &c. brevitatis causâ taceo. Qvoad oleum verò camphoræ, addo, hoc verum & genuinum rubicundi coloris & svavissimi odoris præparari, si camphora cum terra sigillat. intimè & exactè justâ proportione misceatur & igne aperto destilletur, & semel à cap. mort. cohobetur. Enchiresis in exacta mistione camphoræ & terr. sigill. consistit.

XLVII.

Superest, ut de medicamento quodam externo, qvod inter alios *J. A. à Gebema in suo Tr., præteritô Annô in lucem edito*, Eroberte Gicht durch die Chinesische Waffen der *Moxa*, tanqvam infallibile, tutum, propriâq; suâ experientiâ sæpiùs comprobatum adeò commendat, paucis verba faciam. Est & vocatur hoc medicamentum Moxa, & perhibetur, esse lanuginem vel fungosam substantiam cineritii coloris ex quadam herba Indicâ desumtam & præparatam. *Excell. Dn. D. Etmyller in suo Colleg. Therap.* Moxam ex quadam specie artemisiæ Indicæ parari judicat; hinc, inqvit, etiam ex nostris plantis lanuginosis eadem parari potest, qvalis est marrubium, hujus siquidem lanugo derasa qvoad escharam, vesiculam & liqvamen effluens idem præstat, ac moxa Indica, qvod, se expertum esse, affirmat. Signa veræ & genuinæ moxæ juxta *Gebemam l. c. pag. 106.* sunt, si eadem est subtilis, mollis, rara, pura neque pulvere plena, insuper sicca & penetrantis odoris aromatici; qvando verò hæc deest, moxam ignobilioris notæ, modò sit sicca, idem præstare, annotat *Autor in eâdem pag.* Qvod modum applicandi moxam attinet, describunt eundem *Buschoff & Gebema l. c.* Nimirùm sumunt partem moxæ, pisi magnitudinem æqvantem, hanc ad formam pyramidis sive cunei aptant, locoque maximè dolenti imponunt, deinde, mediante candelâ pro fumo, accendunt, & igne fumante comburi

per-

permittunt, usque dum remaneat parùm cineris; si dolor exinde non omnis cessat, idem opus tamdiu repetunt, donec ne minimùm doloris superstes maneat. Hôc factô, allium conqvassatum maculæ ex moxæ operatione relictæ superimponunt, qvod intra 12. vel 24. horas vesicam excitat, quæ deinde, priùs aperta, ab applicatis foliis plantaginis calefactis rursus consolidatur. *Gehema* alia commodiora auxilia præ allio & foliis plantag. se invenisse gloriatur, eaque sibi soli reservanda censet. Verùm ego judico, quòd, si quis allium, qvod ob solum gravem odorem *Autor* rejicit, adhibere non velit, alia multa huic scopo inservientia prostent; deinde locô fol. plantag. vulneraria, consolidantia multa alia satis nota & usu recepta in vesicatoriis, fonticulis consolidandis, hîc quoque locum inveniunt. Annotare insuper convenit, moxam non solummodò in arthritide tàm fixa, quàm vagâ, sed & in multis aliis affectibus, e. g. in odontalgia, cephalalgia, epilepsiâ, maniâ, lethargo &c. feliciter & citò opem ferre.

XLVIII.

Qvod attinet Moxæ modum operandi, operatur eadem instar cauterii actualis sive ignis: jam de igne ex suprà dictis constat, eundem constitui ex particulis æthereis sive sulphureis & salinis mutuò & velocissimè se invicem commoventibus; ubi particulæ æthereæ, dum admodùm diffusivæ & tenuissimæ sunt naturæ, non tantùm particulas ⊖inas sibi junctas & in se agentes simul secum rapiunt, attenuant & resolvunt, sed & easdem, hoc modo è statu fixo ad volatilitatem summam evectas, acriores reddunt. Particulæ igitur hæ igneæ ex dictis sulphureis & salinis constantes, res, in quas agunt, ob summam penetrantiam & acredinem, resolvunt, disjiciunt, & quasi consumunt, & eô ipsô, dum res intimè & radicaliter dissolvunt, earum rerum texturam planè invertunt, destruunt: & ob hanc rationem △ non tantùm noxios humores dissolvere, sed & eosdem corrigere, temperare dicitur. Modernorum igitur Moxa cùm aliam virtutem, nisi causticam, non exserat, modus hic curandi Podagram aliosque morbos Veteribus non fuit ignotus; hi enim, licet moxam ignoraverint, alia tamen cauteria actualia jam olim istos in scopos usurpârunt & morbos ischiaticos, podagricos, cancrosos &c. curârunt. *Alpinus in lib. de Medicina Ægyptior.* refert, quo pacto illi in morbis corpus adurant: Accipiunt lineam petiam

 cubiti

cubiti longitudine, latitudine verò trium digitorum, qvam ad formam pyramidis aptant, goſſypioqve implent, parti affectæ imponunt & accendunt &c.

XLIX.

Qvòd verò Moxa præ aliis omnibus magis citò, tutò, ac jucundè operetur, iſtud & experientia & ratio certum faciunt: qvoad experientiam, ea ex ſuprà dictis claret. Ratio verò concludit, moxam ideò alia cauteria antecellere, qvòd contineat particulas ♀reas & ⊖inas admodùm ſubtiles penetrantes; per anatomiam ſiqvidem chymicam ex moxa habentur ſpiritus & oleum inſigniter penetrantia, nec non ⊖ volatile, ſicuti *Gehema l. c. p. 47.* hoc tentavit, qvi Autor inſuper annotat, ſe, hæc ex moxa ♌lata, præ aliis omnibus topicis, citiùs & potentiùs operari, doloremqve ſedare, expertum eſſe. Moxa igitur omnibus aliis cauteriis præſtat. Nonne verò aliud æqvè potens ac virtuoſum datur, qvod Moxæ ſubſtitui poſſet? Sunt, qvi affirmant, & in hunc ſcopum lanuginem, vel ex verbaſco, uti *Bartholinus*, vel ex marrubio, uti *Etmyllerus*, vel ex artemiſia, uti *alii*, commendant: Sunt qvoqve, qvi negant, neqve ſibi perſvaderi volunt, dictas lanugines easdem cum moxâ obtinere & exſerere virtutes, inter qvos negantes primarius eſt ſæpiùs allegatus *Gehema l.c. p. 57.* qvi *p. 58.* tres proprietates veri ejusmodi cauterii reqvirit, ſcil. (1.) ut dolorem in momento tollat, (2.) ne veſicam excitet, (3.) ne dolores poſt applicationem remaneant vel ſubſeqvantur. Hiſce verò tribus proprietatibus qvòd dictæ herbarum lanugines non gaudeant, nondum tentavi. Veroſimilius interim mihi videtur, eſſe moxam de ſubſtantia fungoſa, hincqve ſpecificâ virtute præditam & mitiùs qvoqve operari, ac lanugines, qvæ inſuper potiùs mox veſicam, qvàm maculam ſive eſcharam inducunt.

L.

Poſtqvam ea, qvæ præſenti paroxyſmo medentur, eumqve ſedant, examinavi & exhibui, ſupereſt, ut nunc qvoqve ea tradam, qvæ faciunt ad præſervationem, ne paroxyſmus tàm ſæpè & tàm vehemens rurſus repetat, vel ne unquam redeat, ſicque radicaliter cauſa morbifica tollatur. Quod igitur hæc medicamenta, præſervationi huic inſervientia, concernit, neceſſe eſt ſint partim talia, quæ humores hinc inde in corpore ſtagnantes, corruptos & acres, reſolvunt,

runt, corrigunt & temperant; partim & ea, quæ eosdem humores expellunt, evacuant, per emunctoria convenientia. Hisce si accedat diæta, eaque benè observetur, de felici successu ad eradicandam Podagram eò minùs erit dubitandum.

LI.

Sed nunc in specie medicamenta, præservationi dicto modo inservientia, sunt exhibenda & examinanda. Primò igitur, pro scopo resolutivo, commendo vel spiritum salsum, ex tempore ex spiritu ⊖is ✱ci & spiritu ✚do minerali justâ proportione junctis, compositum, vel, qui præstantior est, spiritum salso-dulcem per ♌lationem paratum; quibus, pro intentione humorum acrimoniam temperandi, ess. ♂ dulc., pro scopo verò corruptionem humorum corrigendi vel eandem præservandi, ess. mumiæ ægyptiac., (de cujus præparatione & insigni usu vid. *Clauder. Tr. de balsam. cadav.*) vel elixir proprietatis, imprimis istud, quod non tàm purgans & amarum, quàm magis balsamicum & dulce est, addi possunt. Solus spiritus resolvens salinus, imprimis dulcis, sicque simul temperans, sufficere quandoque potest. Sunt, qui laudant spiritus sive ⊖ia volatilia aromatisata sive oleosa, vel quovis in pastu, vel brevi post eum absolutum, assumantur. Quod attinet spiritus ✚dos volatil. & simul acres suprà laudatos, hi meliùs convenire videntur subjectis siccioribus & biliosis. Pulvis si expetitur, suprà recensita ▽tia eundem constituere possunt, inter quæ imprimis ossa humana excellunt, deinde unicornu fossile, quod nunnunquam ex ossibus humanis quoque constare certum est, non enim illis assentio, qui ejusmodi ossa sub terrâ generari credunt: hisce oc. ♋ & ♁ diaphor. imprimis ♂le, vel antihect. Poter. præ aliis commodè adduntur, nec non cinnabar. ♁ii.

LII.

Continuandus verò horum medicamentorum usus est, &, licet non quolibet die, sæpiùs tamen repetitis vicibus, sumenda sunt. Ante omnia verò tempore vernali & autumnali hæc medicamenta diligentiùs & frequentiùs usurpanda, quibus deinde egregio cum fructu opiata ritè correcta adduntur tunc temporis, quando Arthriticus, paroxysmum imminere, persentiscit; sic enim materia sive fermentum podagricum in semine corrigitur, destruitur, ne progerminare & suos fructus ad articulos deponere possit: hoc enim si non

præcavetur, ſemper à quolibet paroxyſmo altiores agit radices, ut de novo eò citiùs & faciliùs progerminare poſſit; tota ſiquidem materia morboſa, uti qvoqve in aliis affectibus, in paroxyſmo podagrico non reſolvitur & expellitur, ſed ſolummodò fructus ejus, radix manet. Anteqvam igitur materia ſive radix Podagræ progerminat vel ebullire incipit, opiatis corrigenda, figenda & deſtruenda, ejusque actus inhibendus: & hoc modo ſi aliqvoties ante acceſſum, vel in ipſo paroxyſmi principio ſemen podagricum, in motu quaſi vivifico tunc exiſtens, figitur ejusque actio ſupprimitur, magis magisque decreſcere incipit, tandemque planè eradicatur, uti ſuprà cephalalgias diuturnas, aliosque chronicos affectus, per intervalla recurrentes, per opiata penitùs curari, me expertum eſſe, dixi. Vide notatu digna, qvæ *Paracelſus* de ſpecifico ſuo anodyno, quod in ſuis *Archidox.* deſcribit, ibidem effatur. Eſt verò opiatorum uſus eò tutior, ſi & ritè corrigantur, & ſi alia medicamenta reſolventia, temperantia, nec non laxantia interponantur, vel ante & poſt eorum uſum, continuatô ſive ſæpiùs repetitô uſu, ſumantur.

LIII.

Cùm verò ſemper, licet exacta victûs ratio obſervetur, aliqva cruditas colligatur in primis viis, nec non in ipſa quoque M. S., cum fructu præſcribi ſolent annuæ purgationes, vernales atque autumnales. Qvibusdam vomitus ſingulis menſibus inſtitutus admodùm utilis & multò præſtantior, ipſis purgantibus, habetur, quibus ego facilè aſſenſum præbeo, verùm non in quibusvis ſubjectis æqvè benè operantur vomitoria. Per alia emunctoria ut cruditates benè evacuentur, multùm qvoqve præſtat, hinc attendendum imprimis erit ad diaphoreſin & diureſin, ut hæc benè reſpondeant; notanda hîc ſunt, quæ *Crato conſil. 21. lib. 4.* dicit: Docti Medici ab experimentis didicerunt, ea corpora, quæ multùm urinæ emittunt, & ſudant freqventer, minùs à Podagrâ tentari, in qvibus verò illa duo excrementa, ſudor inquam & urina, detinentur, ii ad hunc affectum maximè proclives ſunt. Aliud adhuc datur emunctorium arte factum, quod cùm ſit magni usûs, ejus mentionem quoque facere lubet: eſt verò Fonticulus; hunc jamdum *Horat. Augenius epiſt. 3. lib. 10. Tom. 3.* in pede affecto excitatum, ſub genu, locô conſvetô, in parte potiſſimùm exteriore, admodùm proficuum expertus eſt.

Novi

Novi ego Chirurgum podagricum, qui in ſeipſo fonticulos in pede ſummô cum fructu inſtituit ſive excitavit, ex eorum enim uſu rurſus benè pedibus incedere potuit. De uſu fonticuli ejusque operandi ratione ingenioſè ſcripſit *Job. Muys in ſuâ Praxi Chirurg. rationali Decad. I. obſ. 2. p. 7.*

LIV.

Diætam qvæ concernunt, nunc qvoqve brevibus abſolvam. Primò igitur judico, in Podagrâ adeò ſtrictô vivendi genere non opus eſſe, ſi modò non fiat exceſſus in cibo & potu; ſic enim & ea, moderatô ſcilicet, neqve nimis freqventi uſu, ſine adeò notabili noxâ ſumere licet, qvæ aliàs interdicuntur, ſcilicet gallos, capones, anſeres & carpiones &c. Imò ipſum vinum, cujus aliàs ſolâ abſtinentiâ curatos eſſe Podagricos, *Autores* obſervârunt, qvos in copiâ collectos & allegatos vide in *Greiſelii Tract. de Curâ Lactis in Arthritide pag. 78.*, Podagricis adeò nocere neqvit, ſi ſcilicet moderatè ſumitur inter prandendum vel cœnandum, ventriculô enim vacuô exiſtente, non adeò confert: qvando verò præter ſpem Podagricus qvidam juſtò majori vini copiâ ventriculum ſuum onerâſſet, autor ipſi exiſterem, ut mox poſt vini potum oc. cancr. vel ol. tartari p. d. ad gt. 20, 30. aſſumeret, ad vini acidum infringendum. Inſuper notandum, qvod vinum, qvò generoſius ſive fortius ſit, eò qvoqve ſubtilius magisque penetrans acidum, licet non copioſum, in ſe continere, qvod, ſi in ventriculo non ſatis ſubigitur, vel ob juſtò majorem copiam, vel ob ſalia nimìs acria, qvibus qvidam Scorbutici gaudent, majorem Podagricis inferre poteſt noxam, ac acidum vini ignobilioris, utpotè qvod magis fixum terreſtre eſt, hincque ultra primas vias vix penetrat, & ideò crapula à vino ignobiliori ventriculum magis onerat, ac ſi crapula ſit à vino generoſo, quæ, licet ventriculo non adeò ſit moleſta, toti tamen ſangvini & articulis ſive generi nervoſo magis damnoſa exiſtit. Qvod vinum moderatô uſu Podagrici bibere ſine noxâ qveant, inter alios qvoqve adſtruit *Buſchof loc. citat. pag. 122.* qvi ad ſuam opinionem confirmandam *Sennertum* & *Helmontium*, idem ferè ſentientes, allegat. *Agricola Comment. ſuper Popp. pag. 356.* annotat, qvod, ſi flores ſulphuris albi cum muſto vini fermentant, iſtud Podagricis quàm utiliſſimum ſit; cùm tartaream

mate-

materiam resolvat, ejusque de novo generationem inhibeat. Alia, quæ observanda in diætâ occurrunt, sunt, ut cæteræ causæ occasionales sive remotæ, *suprà Th. XIX. & seqq.* recensitæ, evitentur.

LV.

Ultimò & ea medicamenta, quæ tophos nodosqve respiciunt, non sunt omittenda, cum suprà, inter indicationes curativas, & hanc, quæ tophos respicit, recensui; cumque insuper hi tophi nodique integræ curationi maximè obstare videntur. Inter potiora verò auxilia ad tophos annotavi seqq. Primum est ol. sulphuris dulce, qvod *Agricola Comm. sup. Popp. Tr. de Sulphure pag. 465.* felici successu adhibuit. Huic succedit emplastrum, quod describit *Faber*, item *Barbetti in Chirurg.* nimirùm ℞. ol. hyperic. ℔.j. flor. ♀ris unc. j. coqv. ad extractionem ♀ris, deinde add. ceræ drachm. iij. therebinth. unc. ij. thur., myrrh. ana drachm. iij. pulv. radic. aristol. rot., nicot., ana drachm. j. terr. vitrioli dulc. drachm. ij. F. Ungventum vel emplastrum; Hoc juxta alios egregios usus, etiam tophis podagricis feliciter ab *Excellentiß. Dn. D. Rivino* Lipsiæ applicatum fuisse, novi. Alii sumunt balsamum ♀ris cum oleo hyperici parat., miscent cum oleo vitell. ovorum, & oleo hyoscyami, hancque mixturam tophis nodisque superimponunt. Superest emplastrum magnetic. arsenicale, qvod ad tophos podagricos admodùm extollitur; idem verò hoc emplastrum bubonibus pestilentialibus applicatum, eosdem benè maturat, aperit, & materiam purulentam effluere facit, præprimis si priùs super bubonem vesica, vel communi modo, vel etiam mediante moxâ, excitatur. Idem modus & in tophis nodisqve podagricis observari posset; *Paracelsus* siquidem *pag. 485.* fonticulum in loco affecto facere jubet, & super hunc, emplastrum suum attractivum, ex similibus ingredientibus constans, applicat; hoc vim habere, dicit, omnem materiam peccantem & ⊖ ♀reum educere, & in aqvam resolvere, quô factô, insperso pulv. croc. ♂tis, iterùm consolidat. Hunc modum *Paracelsus* admodùm extollit. Insuper thermarum quoque usus valdè efficax & proficuus à nonnullis creditur, & admodùm commendatur.

SOLI DEO GLORIA.